DIVINORUM OFFICIORUM
COLLECTIO
QUÆ SCYLLACII, ET EJUS DIOECESI
CELEBRANTUR

Illustrissimi, et Reverendissimi Domini

D. ANDREÆ MARIÆ RISPOLI

E SS. REDEMPTORIS CONGREGATIONE, S. T. M. AC U. J. D.
DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPI SCYLLACEI,
SS. DOMINI NOSTRI PRAESULIS DOMESTICI, ET PONTIFICIO SOLIO
ADSISTENTIS, AC REGALIS MAJESTATIS A LATERE CONSILIARII.

JUSSU EDITA.



NEAPOLI 1831. *Ex Typis* ANGELI CODA.
Via S. Gregorii Armeni vulgo S. Liguori N.° 48.

FERIA TERTIA

Post Dominicam Sexagesimae

IN SOLEMNI COMMEMORATIONE

DOMINICÆ PASSIONIS

Duplex Primæ Classis cum Octava.

Ad Vesperas.

Antiph. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Psalm. 115.

CRedidi, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus snm nimis.

Ego dixi in excessu meo: * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: * pro omnibus quae retribuit mihi.

Calicem salutaris accipiam: * et nomen Domiui invocabo.

Vota mea Domino raddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri etc.

Antiph. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

*

Antiph. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Psalmus 110.

AD Dominum cum tribularer clamavi, * et exaudivit me.

Domine libera animam meam a labiis iniquis, * et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam dolosam?

Sagittae potentis acutae, * cum corbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: * habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Gloria Patri etc.

Antiph. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Antiph. Ab hominibus iniquis libera me Domine.

Psalmus 139.

ERipe me Domine ab homine malo, * a viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde: * tota die constituebant praelia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis: * venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me Domine de manu peccatoris: * et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: * absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum: * juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino: Deus meus es tu: * exaudi Domine vocem deprecationis meae.

Domine Domine virtus salutis meae: * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me Domino a desiderio meo peccatori: * cogi-

taverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Caput circuitus eorum: * labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: * in miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in terra, * virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis: * et vindictam pauperum.

Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo: * et habitabunt recti cum vultu tuo. Gloria Patri etc.

Antiph. Ab hominibus iniquis libera me Domine.

Antiph. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Psalmus 140.

Domine clamavi ad te, exaudi me: * intende voci meae, cum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: * elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone Domine custodiam ori meo: * et ostium circumstantiae labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiae: * ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: * et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordia, * et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum: * absorpti sunt juncti petrae judices eorum.

Audient verba mea quoniam potuerunt: * sicut crassitudo terrae erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: * quia ad te Domine, Domine oculi mei: in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, * et a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores: * singulariter sum ego donec transeam. Gloria Patri etc.

Antiph. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Antiph. Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat, qui cognosceret me.

Psalmus 141.

Voce mea ad Domiuum clamavi: * voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam: * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum: * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me, * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te Domine, * dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Gloria Patri etc.

Ant. Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me.

Capitulum. Philipp. 2.

Fratres hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

MÆrentes oculi spargite lacrymas,
Et luctu resonent intima cordium,
Illatas refero Numini ab impiis
Poenas et fera vulnera.
Accincta heu! gladiis turba satellitum,
Arreptum Dominum fustibus impetit,
Nunc caedit colaphis, nunc quatit horridis
Divinum Caput ictibus.
Haud finis sceleri: traditur improbo
Christus Carnifici; nec mora, barbarus
In Regem Superum non timet, impio
Ausu, vertere dexteram.
Audite o Populi, Numen amabile,
Manante ex humeris undique sanguine,
Lictoris rabidi sustinet impetum,
Et vocem premit innocens.
Quis non illacrymet! Jam nova condidit
Tormenta indomitae gentis iniquitas,
Infigit cerebro, proh dolor! efferis
Sertum vepribus asperum.
Heu crimen! trahitur funibus improbis,
Funesti Dominus supplicii ad locum,
Illic oppetitt funere spiritum
Patri restituens suo.
Passo pro miseris tam fera vulnera
In terris resonet debita gloria;
Sacrumque assidue Nomen in aethera
Humanum genus efferat. Amen.
℣. Oblatus est, quia ipse voluit.
℟. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Magnificat.

Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Oratio.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti; concede propitius, ut, sicut solemnem commemorationem passionis ejus celebramus, ita et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem Dominum nostrum etc.

Ad Complet., et per Horas diei, ac etiam per totam Octavam in fine Hymnorum dicitur.

Patri sit, ac Paraclyto.
Natoque Patris gloria,
Nostrae dedit qui prodigus
Pretium salutis sanguinem.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Christum Regem Crucifixum, * Venite adoremus.

Psalmus. Venite exultemus etc.

Hymnus.

ASpice, infami Deus ipse ligno
Pendet, effuso madidus cruore;
Aspice, immiti manus alma clavo
Finditur alte.

Hunc, velut pravi sceleris ministrum,
Inter indignos medium latrones,
Cerne: crudelis fuit ista gentis
Dira voluntas.

Pallet heu! vultus; caput ecce lassum
Flectitur; clausis oculis, Redemptor
Spiritum sacro meritis onustum
Fundit ab ore.

O cor, aes durum superas, gemendo
Ni scelus tergas; tua culpa Christum
Stipiti affixit: tua culpa morti
Subdit atrae.

Sit Deo aeternum decus omne in aevum,
Qui pius nostri generis Redemptor,
Criminis labem miseris nocentem
Sanguine tersit. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Astiterunt Reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Psalmus 2.

QUare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania.

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Chsistum ejus.

Dirumpamus vincula eorum, * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in caelis, irridebit eos, * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion mon-.em sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu; ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes, haereditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea, * et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, Reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus: * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo. Gloria Patri etc.

Antiph. Astiterunt Reges terrae, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Antiph. Multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum, * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri atc.

Antiph. Multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Psalm. 21.

DEus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti: * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte; et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt Patres nostri: speraverunt et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino; eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae: * In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu: * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum: * sicut leo rapiens, et rugiens.

Sicut aqua effusus sum: * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens: * in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me: * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum: * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus: * universae familiae gentium.

Quoniam Domini est regnum: et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt; et adoraverunt omnes pingues terrae: * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * et annuntiabunt caeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. Gloria Patri etc.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

Lectio I.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Romanos. *C. 5. et 6.*

Commendat Charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius: Non solum autem, sed et gloriamur in Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus: Si enim unius delicto, mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Tu autem etc.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara; * Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Quia parasti etc.

Lectio II.

Igitur, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homi-

nes in justificationem vitae: sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem justi constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam, per Jesum Christum Dominum nostrum. Tu autem etc.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te praeivi in columna nubis; *. Et iu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et me duxisti ad Praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me tradidisti etc.

Lectio III.

QUid ergo dicemus? Permanebimus in peccato: ut gratia abundet? Absit: qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo: An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris; ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complanctati facti sumus similitudini mortis ejus; simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo. Tu autem etc.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis; * Et tu me flagellatum tradidisti: * Qui tamquam Agnus coram tondente se obmutui, ut non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me etc. Gloria Patri etc. = Qui tamquam Agnus etc.

In II. Nocturnos

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus?

Psalm. 40.

BEatus qui intelligit super egenum, et pauperem, * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, * et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi: Domine miserere mei, * sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici miei dixerunt mala mihi: * quando morietur, et peribit nomen ejus.

Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur, * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * et loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei, * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adverum me: * numquid qui dormit non adjiciet, ut resurgat?

Etenim homo pacis meae, in quo speravi, * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me: * et retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me, * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum, * fiat, fiat. Gloria Patri etc.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus.

Antiph. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam.

Psalm. 53.

DEus in nomine tuo salvum me fac; * et in virtute tua judica me.

Deus, exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quesiaerunt animam meam: * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me; * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis, * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi: * et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri etc.

Antiph. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam.

Antiph. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Psalm. 55.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo; * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die, * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo; * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi, * non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur, * adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt, et abscondent, * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi: * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacunque die invocavero te: * ecce cognovi, quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem;* in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua: * quae reddam laudationes tibi?

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium
Gloria Patri etc.

Antiph. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

℣. Proprio Filio suo non perpecit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Lectio IV.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 41. Domin. in Palmis de Passione Domini.

ADmonet nos, Fratres charissimi, ad sollemnitatem Dominicae Passionis ipse, (Mundus) in quo eam nec muta elementa tacuerunt. Celebret eam lux fidei linguis hominum, quam conclamaverunt etiam silentia tenebrarum. Dominus noster in statera Crucis pretium nostrae salutis appendit, et una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium Reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas insignis pretii supergressa est. Inter redemptum, et redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata propria, digne delevit aliena. Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, ut omnes levaret; et quia debitum solus non habuit, recte fœnus misericordiæ pro debitoribus erogavit. Tu autem etc.

℟. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale; * Et tu dedisti capiti meo spineam coronam, et percuissisti arundine caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu dedisti capiti meo etc.

Lectio V.

PErpende inter haec, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem a nobis sit exacturus usuram. In haec itaque die fides propheticae annunciationis impleta est ita dicentis: Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellenti-

lus, faciem meam non averti a foeditate sputorum. Suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam, quem sic diligit post ruinam. Agnosce, homo, quantum valeas, et quantum debeas; et dum tantam redemptionis tuae perspicis dignitatem, ipse tibi indictio peccandi pudorem. Ecce, pro impio pietatis flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Tu autem etc.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, * Et tu me caecidisti alapis, et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me etc.

Lectio VI.

EXpavit scelus hominum natura rerum, et quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, et Coeli Regem Sol fugiens confitetur. Clamyde coccinea induitur, quia sanguine Martyrum suorum Ecclesiae corpus ornatur. Corona Spinea Capiti Ejus imponitur, quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione Redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc e diverso, ut membrorum vita Capitis sit corona. Quod vero sitire se in Cruce positus dicit, fidem incredulae gentis concupiscit; sed contra acetum malitiae porrigunt, quia vinum sapientiae, quod a Deo acceperant, peccando corruperant. Velum templi scinditur, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, Ecclesiae unitas praemonstratur. Monumenta aperiuntur, quia mortis jura jure superantur. Tu autem etc.

℟. Ego exaltavi te magna virtute: * Et tu me suspendisti in patibulo Crucis, * In qua expandi manus meas ad Populum non credentem, et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me = Gloria Patri etc. = In qua etc.

In III. Nocturno.

Antiph. Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.

Psalm. 56.

MIserere mei Deus, miserere mei; * quoniam in te confidit anima mea.
Et in umbra alarum tuarum sperabo: * donec transeat iniquitas.
Clamabo ad Deum altissimum: * Deum, qui benefecit mihi.
Misit de Caelo, et liberavit me: * dedit in opprobrium conculcantes me.
Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam: * et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.
Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae: * et lingua eorum gladius acutus.
Exaltare super Coelos Deus: * et in omnem terram gloria tua.
Laqueum paraverunt pedibus meis: * et incurvaverunt animam meam.
Foderunt ante faciem meam foveam: * et inciderunt in eam.
Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: * cantabo, et psalmum dicam.
Exurge gloria mea, exurge psalterium, et cithara: * exurgam diluculo.
Confitebor tibi in populis, Domine: * et psalmum dicam tibi in Gentibus.
Quoniam magnificata est usque ad Coelos misericordia tua: * et usque ad nubes veritas tua.
Exaltare super Coelos Deus; * et super omnem terram gloria tua. Gloria Patri.
Antiph. Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.
Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalm. 63.

EXaudi Deus orationem meam cum deprecor; * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt, * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos; * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum, * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, * et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde. Gloria Patri.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Psalm. 87.

DOmine Deus salutis meae, * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea; * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar; * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia: * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam:* et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi, * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam; * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae,* et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die; * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, et proximum, * et notos meos a miseria. Gloria Patri.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

℣. Factus est obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem Crucis.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. 19.*

IN illo tempore sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Hom. 84. in Cap. 19. Joannis ante medium.

SCiens Jesus omnia consummata, ait, Sitio; etiam hoc verbo prophetiam implens. Tu autem adstantium pravitatem intellige; nam licet innumeros habemus inimicos, qui nos gravissime persequuti sint, cum tamen interimi eos videmus, flectimur misericordia. Hi vero nil moti, magis efferantur, et irrident, acetumque in spongia porrigunt, ut

bibat tamquam reus : Nam propter hoc hyssopum additur : quo gustato, mortuus est. Vides quam non perturbare, et quam potenter omnia transigentem ? Quod et prosequens ostendit, cum enim omnia consummata essent, inclinato capite, quod affixum non erat, tradidit spiritum, hoc est expiravit. Tu autem.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra : * Et tu me potasti felle, et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te ? responde mihi. Et tu etc.

Lectio VIII.

Atqui non post inclinatum Caput expiratur ; sed post expirationem Caput inclinatur. Hinc autem contra accidit, per quod ostendit eum Evangelista esse omnium Dominum. Judaei autem Camelum devorantes, et calicem excolantes, tantum nefas ausi de die consultant : Quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce Corpora Sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum Crura : Vides quanti sit veritas ? Per ea, quae illi faciunt, prophetia impletur, alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo Milites, et aliorum fregerunt Crura, non Christi ; sed ad Judaeorum gratiam conciliandam Latus ejus lancea aperuerunt, et mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem, ac scelestissimam : Tu autem.

℟. Ego autem te aperui mare : * Et tu aperuisti lancea Latus Salvatori tuo : * Qui redemit Mundum in sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te ? responde mihi = Et tu aperuisti = Gloria Patri = Qui redemit Mundum etc.

Lectio IX.

Noli tamen perturbari, dilectissime, quae enim malo illi animo patrarunt, veritati consentiebant. Prophetia hic impleta est, inquiens, videbunt in quem transfixerunt ; neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomae, et qui cum eo erant. Ad haec et arcanum mysterium consummatum est, exivit enim Sanguis, et Aqua :

non casu, et simpliciter hi fontes scaturierunt; sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati; per aquam enim regenerati, Sanguine, et Carne nutriti, hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum Calicem accedis, tamquam ab ipso Latere hauriens accedas. Tu autem. Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas Antiph.

FUi flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis. *Psal.* Dominus regnavit, *cum reliquis de Domin.*

Antiph. Veni ad Montem myrrhae, et ad Collem thuris; tamquam Agnus ad occisionem ductus, obmutui, et non aperui os meum.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Antiph. Consolantem me quaesivi, et non inveni: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Antiph. Cum accepisset Jesus acetum dixit: Consummatum est, et inclinato Capite, emisit Spiritum.

Capitulum. Ad Philip. 2.

FRatres, hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Hymnus.

SÆvo dolorum turbine
Jactatur, atris obrutus
Poenis, acerba sustinens
Redemptor affixus Cruci,
Pedes, manusque horribili
Clavi cruentant vulnere,
Cor, vultus, artus, pectora,
Sacro redundant sanguine.
Flet, orat, et clamans obit:
Cor Matris ictum concidit:

Heu Mater ! Heu Fili ! dolor
Ingrata frangat pectora.
Montes , sepulchra , saxaque ,
Scinduntur ; arva , flumina ,
Rupes , et aequor contremunt,
Templique velum scinditur.
Sol , luna , coelum , sidera
Plangunt , et orbis ingemit :
O vos viri , vos parvuli ,
Nuptae , puellae , plangite.
Adstante maerentes Cruci ,
Pedes beatos ungite ,
Lavate fletu ; tergite
Comis , et ore lambite.
Tu charitatis victima ,
Ut nostra tollas crimina ,
Nobis salubri perficis
Adoptionem Sanguine.
Nostra ergo pax , et gaudium
Sis vita , Jesu , et proemium ,
Sis ductor , et lux in via ,
Merces , corona in Patria. Amen.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.
℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Benedictus. Antiphona.

Ad Jesum autem cum venissent , ut viderunt eum jam mortuum , non fregerunt ejus Crura ; sed unus Militium lancea Latus ejus aperuit , et continuo exivit Sanguis , et Aqua.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus , qui humano generi , ad imitandum humilitatis exemplum , Salvatorem nostrum carnem sumere , et Crucem subire fecisti ; concede propitius , ut , sicut solemnem Commemorationem Passionis ejus celebramus , ita et patientiae ipsius habere documenta et Resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem Dominum nostrum etc.

Ad Primam

Patri sit, ae Paraclyto,
Natoque Patris gloria,
Nostrae dedit qui prodigus
Pretium salutis Sanguinem. Amen.

In ℟. brev. dicitur: ℣. Qui pro nobis pati dignatus es: *Et sic per totam Octavam etiam in festis.*

Ad Tertiam.

Patri sit, ac Paraclyto,
Natoque Patris gloria,
Nostrae dedit qui prodigus
Pretium salutis sanguinem.

Antiph. Veni ad Montem Myrrhae.
Capitulum. Fratres hoc enim sentite in vobis, *ut supra.*
℟. *brev.* Oblatus est * quia ipse voluit. Oblatus etc.
℣. Et livore ejus sanati sumus = Quia ipse voluit.
Gloria Patri = Oblatus est etc.
℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.
℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Ad Sextam.

Patri sit, ac Paraclyto,
Natoque Patris gloria,
Nostrae dedit qui prodigus
Pretium salutis sanguinem. Amen.

Antiph. Foderunt manus meas.

Capitulum. Zach. 13. 6.

Quid sunt plagae istae in medio manum tuarum? Et dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℟. *brev.* Proprio Filio suo * non pepercit Deus. Proprio Filio etc.

℣. Sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non pepercit Deus.

Gloria Patri = Proprio Filio etc.
℣. Factus est obediens usque ad mortem.
℟. Mortem autem Crucis.

Ad Nonam.

Patri sit, ac Paraclyto,
Natoque Patris gloria,
Nostrae dedit qui prodigus
Pretium salutis sanguinem. Amen.
Antiph. Cum accepisset Jesus etc.

Capitulum. Isai. 53. 1.

GEnerationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum.
℟. *brev.* Factus est obediens * usque ad mortem = Factus est etc.
℣. Mortem autem Crucis = Usque ad mortem = Gloria Patri = Factus est etc.
℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.
℟. Et attritus est propter scelera nostra.

In II. Vesperis omnia ut in primis, praeter sequentia.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.
℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Magnificat. Antiphona.

Deponens Joseph Corpus Jesu involvit Sindone, et posuit eum in monumento exciso: fuit planctus magnus in illa die: mulieres autem sedentes contra sepulchrum dolebant, sicut doleri solet in morte Primogeniti.
Oratio: Omnipotens sempiterne Deus, *ut supra.*
Missa: Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus etc. *ut in Missa votiva de Passione D. N. J. C. excepta 1. Orat. quae dicit. ut in Offic. c. rub.*
Offic. pro Octavam dicit. ut in die Festi, exceptis Lect. et Antiph. ad Benedict. et Magnif.

FERIA QUARTA

Post Dominicam Sexag.

Secunda die infra Octavam,
In I. Nocturno.

Lectio I.

De Libro Sapientiae.

Cap. 2.

DIxerunt impii, cogitantes apud se non recte. Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae. Promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt vitae ejus. Tu autem.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara; * Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Quia parasti etc.

Lectio II.

TAmquam nugaces aestimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris, tamquam ab immunditiis, et praefert novissima justorum; et gloriatur, Patrem se habere Deum. Videamus ergo, si sermones illius veri sint, et tentemus quae ventura sunt illi, et sciemus, quae erunt novissima illius: Si enim est vere Filius Dei suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum. Tu autem.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te praeivi in columna nubis; * Et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et me duxisti ad Praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me tradidisti etc.

Lectio III.

COntumelia, et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius: morte turpissima condemnemus eum; erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Haec cogitaverunt, et erraverunt, excaecavit enim illos malitia eorum, et nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiae, nec judicaverunt honorem Animarum Sanctarum. Tu autem.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis; * Et tu me flagellatum tradidisti, * Qui tanquam Agnus coram tondente obmutui, et non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me = Gloria Patri etc. = Qui tanquam Agnus etc.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

Hom. 1. de Pass., et Cruce Domini,

SIcut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Unde, si affixus Serpens ligno filiis Israel contulit sanitatem, quanto magis salutem praestat Populis Dominus in patibulo crucifixus; et si figura tantum profuit, quantum prodesse credimus veritatem? Serpens igitur primus cruoifigitur. Recte plane, ut quia primus apud Deum peccaverat Diabolus, primus Crucis sententia feriretur. In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum, ut quia homo in Paradiso per arborem concupiscentiae deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem salvaretur: atque eadem materia, quae caussa mortis fuerat, esset remedium sanitatis. Tu autem.

℟. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale; * Et tu dedisti Capiti meo Spineam Coronam, et percussisti arundine Caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te; responde mihi = Et tu dedisti Capiti meo etc.

Lectio V.

DEinde post Serpentem in Salvatore homo ipse crucifigitur, scilicet ut post auctorem puniatur et facinus. Per primam enim Crucem vindicatum est in Serpentem; per secundam in venena Serpentis. Hoc est, primum Auctor ipse punitur, deinde ejus malignitas condemnatur. Virus enim, quod persuasione sua in hominem transfuderat, nunc rejicitur, nunc curatur. Nam cum homo passioni addicitur, non morti traditur, sed mortis in eo facinus emandatur. Hoc enim egit Dominus per hominem, quem suscepit, ut dum innocens patitur praevaricationis illius diabolicae in eo inobedientia corrigatur, et deinceps liber a culpa fieret, ac liber esset a morte. Tu autem.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, * Et tu me caecidisti alapis, et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me etc.

Lectio VI.

HAbentes igitur Dominum Jesum, qui nos Passione sua liberavit, in ipsum aspiciamus semper, et de ipsius ligno speremus nostris vulneribus medicinam; hoc est si forte in nos venenum avaritiae se diffundit, ipsum consideremus, et sanat; si Scorpionis nos libido compungat, ipsum rogemus, et curat; si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eumdem precemur, et vivimus. Hi enim sunt spirituales Serpentes animarum nostrarum, propter quos conculcandos Dominus crucifixus est, de quibus ipse ait: Super Serpentes, et Scorpiones ambulabitis, et nihil vobis nocebunt. Tu autem.

℟. Ego te exaltavi te magna virtute: et tu me suspendisti in patibulo Crucis, * In qua expadi manus meas ad Populum non credentem, et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me = Gloria Patri etc. = In qua etc.

In III. Nocturno.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

IN illo tempore sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 10. in Evang. Luc. Cap. 23.

CUrrens unus spongiam implevit aceto, et dabat ei bibere, quod et bibit. Sic enim habes secundum Joannem. Cum ergo accepisset Jesus acetum, vinum vero cum felle mixtum non hibit; sic enim habetur in Matthaeo: Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum; et cum gustasset noluit bibere. Acetum itaque bibitur, vinum cum felle non bibitur; non quia fel, sed quia admixtae vino amaritudines recusantur; nam amaritudines vitae nostrae pro corporis utique conditione suscepit. Denique ipse ait: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Sinceritate namque non debuit amaritudo misceri, ut ostenderetur sine amaritudine immortalitas resurgentium futura: quae quoniam in vase coacuerat humano, edulcatur in Christo. Ergo acetum bibitur, quod erat arundini impositum, hoc est vitium corruptae per Adam immortalitatis absorbetur in calamo, ut de corpore aboleretur humano. Tu autem.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle, et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo constristavi te? responde mihi = Et tu etc.

Lectio VIII.

PAter in manus tuas commendo Spiritum meum. Et bene commendatur Spiritus, qui servatur. Quod enim com-

mendatur utique non amittitur. Bonum ergo pignus est Spiritus, bonum depositum, unde et ille ait: o Timothee, bonum depositum custodi. Commendatur ergo Patri Spiritus, et ideo ait, quoniam non derelinques in inferno animam meam. Vide autem magnum Mysterium. Nunc commendat in manibus Patris Spiritum suum, nunc in Patris sinu sedet, quia totum alius non capit Christum. Denique ego, inquit, in Patre, et Pater in me. Commendatur ergo, Patri Spiritus, sed cum sit in superioribus, illuminat et inferna, ut universa redimantur: Etenim Christus omnia, et in Christo omnia, licet in singulis operetur. Tu autem.

℟. Ego ante te aperui mare: * Et tu aperuisti lancea latus Salvatori tuo: * Qui redemit Mundum in sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu aperuisti = Gloria Patri = Qui redemit Mundum etc.

Lectio IX.

Denique secundum Joannem: Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus Crura, sed unus Militium lancea Latus ejus aperuit. Quaero ergo, cur ante mortem non inveniamus esse percussum, post mortem inveniamus? Nisi forte ut voluntarius magis, quam necessarius exitus ejus fuisse doceatur, et ordinem mysticum noverimus; quia non ante Altaris Sacramenta, quam Baptismum, sed Baptismum ante, sic poculum. Deinde ut advertamus, quia licet Corporis ejus fuerit natura mortalis; licet qualitas similis, dissimilis tamen gratia. Nam utique post mortem sanguis in nostris Corporibus congelascit; de illo vero, inquit Joannes: Et continuo exivit Sanguis, et Aqua. Ex illo enim incorrupto, licet Corpore, sed defuncto, omnium vita manabat. Aqua enim, et Sanguis exivit, illa quae diluat, iste qui redimat. Bibamus ergo pretium nostrum, ut bibendo redimamur. Tu autem.

Te Deum laudamus. *Ad Benedictus. Antiph.*

Pater mi, si non potest hic Calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Ad Magnificat. Antiphona.

Traditor autem dedit eis signum, dicens: Quem osculatus fuero, ipse est; tenete eum, et ducite caute.

FERIA QUINTA

Post Domiuicam Sexag.

Tertia die infra Octavam.

In I. Nocturno.

Lectio I.

De Isaia Propheta. *Cap. 53.*

QUis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus et desideravimus eum. Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Tu autem.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara; * Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Quia parasti etc.

Lectio II.

OMnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus, coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est; generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium; propter scelus Populi mei percussi eum. Et dabit impius pro

sepultura, et divitem pro morte sua; eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Tu autem.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te praecivi in columna nubis; * Et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et tu me deduxisti ad Praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde Mihi = Et tu me tradidisti etc.

Lectio III.

ET Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit Anima ejus, videbit, et saturabitur; in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. Tu autem.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis; * Et tu me flagellatum tradidisti, * Qui tamquam Agnus coram tondente se obmutui, et non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me = Gloria Patri etc. = Qui tanquam Agnus etc.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Sermo Sancti Petri Chrysologi.

Serm. 108. ante medium.

CHristus, ait Apostolus, in hunc mundum vénit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, sed misericordiam sum consecutus, ad exemplum omnium, qui credituri sunt illi in vitam aeternam. Obsecro, inquit, vos per misericordiam Dei. Rogat Paulus, immo per Paulum rogat

Deus, quia plus amari vult, quam timeri. Rogat Deus, quia non tam Dominus esse vult, quam Pater. Rogat Deus per misericordiam, ne vindicet per rigorem. Audi rogantem Dominum: tota die, inquit, expaudi manus meas. Nonne qui expandit manus, ipso habitu rogat? Expandi manus meas. Ad quem? Ad Populum. Et ad quem Populum? Non tantum non credentem, sed et contradicentem, expandi manus meas. Tu autem.

℟. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale; * Et tu dedisti Capiti meo Spineam Coronam, et percussisti arundine Caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu dedisti Capiti meo etc.

Lectio V.

Distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, ut Patrem se tantae obsecrationis demonstret affectu. Audi, et aliter rogantem Deum: Popule meus, quid feci tibi? aut quid contristavi te? Nonne dicit? Si Divinitas ignota est, vel caro sit nota. Videte, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrum sanguinem; et si quod Dei est, timetis; quare vel quod vestrum est, non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad Parentem? Sed forte vos Passionis meae, quam fecistis, magnitudo contundit? Nolite. Tu autem.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, * Et tu me caecidisti alapis, et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me etc.

Lectio VI.

Crux haec non meus, sed mortis est aculeus. Clavi isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem. Vulnera haec non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio Corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in poenam. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium. Venite ergo, redite, et vel sic probate

Patrem, quem videtis pro malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam reddere charitatem. Tu autem.

℟. Ego exaltavi te magna virtute: * Et tu me suspendisti in patibulo Crucis, * In qua expandi manus meas ad Populum non credentem, et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me = Gloria Patri etc. = In qua etc.

In III. Nocturno.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

IN illo tempore sciens Jesus; quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. cap. 33. in medio.

CUm relinquitur Christus exclamat, dicens: Deus meus, quare me dereliquisti? Sed relinquitur, quia erat homo etiam morte peragendus. Quin etiam hoc, quod per calamum datum in spongia, acetum cum gustasset, proclamans Spiritum reddidit, diligenter est contuendum. Vinum honor est immortalitatis, et virtus, quod per vitium aut incuriae, aut vasis acescit. Hoc igitur, cum in Adam coacuisset, ipse accepit, et potavit ex gentibus. In Calamo enim, ex spongia ut potaret, offertur, id est ex corporibus gentium vitia corruptae aeternitatis accepit, et in se, atque mortalitatis communione, ea, quae in nobis erant vitiata, transfudit. Tu autem.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle, et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu etc.

Lectio VIII.

DEnique in Joanne postquam perpotaverat, dixit: Consummatum est, quia omne vitium humanae corruptionis hausisset. Et quia nihil agendum esset extrinsecus, Spiritum cum clamore, et voce magna emisit, dolens, non omnium se peccata portare; et deinceps Velum Templi scinditur quia exinde populus est divisus in partes, et Veli honor cum custodia Angeli protegentis aufertur. Tu autem.

℟. Ego ante te aperui mare: * Et tu aperuisti lancea Latus Salvatori tuo,* Qui redemit Mundum in Sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu aperuisti = Gloria Patri = Qui redemit mundum.

Lectio IX.

MOvetur terra; capax enim hujus mortui esse non poterat. Petrae scissae sunt; omnia enim tum valida, et fortia penetrans Dei Verbum, et potestas aeternae virtutis irruperat. Et monumenta operta sunt; erant enim mortis claustra reseranda. Et multa corpora Sanctorum dormientium surrexerunt; illuminans enim mortis tenebras, et infernorum obscura collustrans in Sanctorum ad praesens conspicatorum resurrectione mortis ipsius spolia detrahebat. Tu autem. Te Deum laudamus.

Ad Benedictus. Antiphona.

Ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum.

Ad Magnif. Antiph.

Unus assistens Ministrorum dedit alapam Jesu dicens: Sic respondes Pontifici?

FERIA SEXTA

Post Dominicam Sexag.

Quarta die infra Octavam Dominicae Passionis.

In I. Nocturno.

Lectio I.

De Jeremia Propheta.

Cap. 11.

QUid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? Tu autem Domine, demonstrasti mihi, et cognovi; tunc ostendisti mihi studia eorum, et ego quasi Agnus mansuetus, quia cogitaverunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes, et corda, videam ultionem tuam ex eis; tibi enim revelavi caussam meam. Propterea haec dicit Dominus Exercituum: Ecce ego visitabo super eos, juvenes morientur in gladio, filii eorum, et filiae eorum morientur in fame, et reliquiae non erunt ex eis. Tu autem.

℞. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara: * Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Quia parasti etc.

Lectio II.

EXpectatio Israel, Domine; omnes, qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero quoniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi

est Verbum Domini? Veniat, et ego non sum turbatus, te Pastorem sequens, et diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur, qui me persequuntur, et non confundar ego; paveant illi, et non paveam ego; induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos. Tu autem.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te praeivi in columna nubis; * Et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et me duxisti ad Praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me tradidisti etc.

Lectio III.

Cap. 18.

QUis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Israel? Quia oblitus est mei populus meus frustra libantes, et impingentes in viis suis; in semitis saeculi, ut ambularent per eas in itinere non trito, et dixerunt: Venite, et cogitemus contra Jeremiam cogitationes. Non enim peribit lex a Sacerdote, neque consilium a Sapiente, nec sermo a Propheta. Venite, et percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus. Attende, Domine, ad me, et audi vocem adversariorum meorum. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animae meae? Recordare, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem. Tu autem.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis; * Et tu me flagellatum tradidisti. * Qui tamquam Agnus coram tondente se obmutui, et non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me = Gloria Patri etc. = Qui tamquam Agnus etc.

In II. Nocturno

Lectio IV.

Sermo Sancti Basilii Magni.

In Psalm. 48. ad ver. 8.

QUid tanti potest homo invenire, ut det pro redemptione animae suae? Sed unum inventum est pro omnibus simul hominibus sufficientissimum, quod in pretium redemptionis animae nostrae datum est. Sanctus ille, ac pretiosus Sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit; quam ob rem pretio etiam empti sumus. Itaque si frater non redimit, redimet homo. Si vero redimere nos non potest homo, qui redimit nos, homo non est; Ne igitur propterea quod in similitudinem carnis peccati nobiscum diversatus est, hominem solum existimes Dominum nostrum, divinitatis potentiam ignorans; cui opus non erat Deo dare placationem suam, neque propriam redimere animam, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Tu autem.

℟. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi; et dedi tibi sceptrum regale; * Et tu dedisti Capiti meo Spineam Coronam, et percussisti arundine Caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu dedisti Capiti meo etc.

Lectio V.

NEmo igitur se ipsum redimere potest, nisi veniat, qui captivitatem Populi convertat non cum pretiis, neque cum donis sicut in Isaia scriptum est, sed in suo Sanguine. Hic autem, cum non essemus fratres, sed essemus inimici facti ob peccata, neque ipse homo nudus, sed Deus, post libertatem, quam nobis largitur, etiam nos fratres suos appellat. Narrabo enim, inquit, nomen tuum fratribus meis. Tu autem.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, * Et tu me caecidisti alapis, et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me etc.

Lectio VI.

ITaque qui redimit nos, si naturam quidem ipsius perpendas, neque frater, neque homo est; si vero ipsius ad nos demissionem ex gratia factam, et nos fratres nominat, et ad humanitatem descendit, qui non dabit Deo placationem suam, sed totius mundi. Non enim indiget placatione, sed ipse propitiatio est; talis enim decebat, ut esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi ignorantiis. Tu autem.

℟. Ego exaltavi te magna virtute: * Et tu me suspendisti in patibulo Crucis; * In qua expandi manus meas ad Populum non credentem; et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me etc. Gloria Patri etc. = In qua etc.

In III. Nocturno. *Lect. VII.*

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19. etc.

IN illo tempore sciens Jesus, quia omnia consummata sunt ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Sancti Isidori Episcopi.

Lib. ad Florentiam Sororem Cap. 39.

QUod autem pendenti in Cruce acetum cum felle mixtum dederunt, hoc jam fuerat in psalmis prædictum a Domino: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto; quod quidem et alias ad Jerusalem sic proclamat: Ego te plantavi vineam electam, quomodo facta es in amaritudinem vitis aliena? Deus enim bonam

plantavit vineam, hoc est Judæorum gentem; illa vero vitio suo depravata Conditorem amaritudine potavit. Pro qua et Moyses, uva, inquit, eorum, uva fellis, et botri amarissimi. Unde et superius objurgans eos dicit: Sic plebs fatua, et non sapiens hæc Domino retribuisti? Tu autem.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle, et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu etc.

Lect. VIII. *Cap. 47.*

LAncea Latus ejus percussum est. Sic prænuntiatum est ab ipso per Job. Confregit me, et posuit me quasi in signum, circumdedit me, lanceis suis convulneravit lumbos meos, concidit me vulnere super vulnus, idest vulnere lancæ super vulnus clavorum; unde etiam et per David: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Sic est ab eo prænuntiatum et per Jeremiam: Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam; misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Et iterum de ipso Populo, sic ait idem Dominus per Prophetam: Facti sunt mihi in sagittam reciprocam; et Zacharias: Viderunt, in quem confixerunt, utique hominem, quem crucifixerunt. Quo etiam testimonio promissus est Christus in ea, qua crucifixus est, carne venturus. Tu autem.

℟. Ego ante te aperui mare: * Et tu aperuisti lancea Latus Salvatori tuo. * Qui redemit Mundum in Sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te: responde mihi — Et tu aperuisti — Gloria Patri — Qui redemit Mundum etc.

Lect. IX. *Cap. 47.*

EX latere ejus Sanguis, et Aqua manavit. Zacharias dicit: Tu quoque in Sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Et iterum: Cum egredietur Vir ab Oriente, ecce aquæ redundantes a latere dextero, scilicet Christi. Item de eadem Aqua quæ, ex

Latere ejus profluit, Propheta alius sic dicit: Flumina aquæ viventis egredientur de ventre illius, aquæ scilicet Baptismatis; quæ credentes vivificant, et quæ sitientibus largiuntur, quando impletur, quod scriptum est: Lavamini, mundi estote; et: Lavabis me, et super nivem dealbabor. Tu autem. Te Deum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Veniebant milites ad Jesum, et dicebant: Ave, Rex Judæorum, et dabant ei alapas.

Ad Magnificat. Antiphona.

Exivit Jesus portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum, quem cum vidissent Pontifices, et Ministri eorum, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.

SABBATO

Post Dominicam Sexagesimæ.

Quinta die infra Octavum Dominicae Passionis.

In I. Nocturno.

Lectio I.

De Daniele Propheta. *cap.* 9.

Ego Daniel cum adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata Populi mei Israel, et prosternerem preces meas in conspectu Dei pro monte Sancto Dei, adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et loquutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Tu autem.

℟. Vinea mea electa, Ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara; * Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Quia parasti etc.

Lect. II.

Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super Populum tuum, et super Urbem sanctam tuam, ut cousummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt, et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Tu autem.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te præivi in columna nubis; * Et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et me duxisti ad Prætorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me tradidisti etc.

Lect. III.

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus Populus, qui eum negaturus est, et Civitatem, et Sanetuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas; et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium, et erit in Templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et in finem perseverabit desolatio. Tu autem.

℟. Ergo propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis; * Et tu me flagellatum tradidisti. * Qui tanquam Agnus coram tondende se obmutui, et non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me etc. Gloria Patri etc. — Qui tanquam Agnus etc.

In II. Nocturno. *Lect. IV.*

Ex libro Moralium S. Gregorii Papæ.

Lib. 22. in Job. cap. 16.

REdemptor noster, quia Herodem vidit non perfectum quaerere, sed signa, vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit; et quia constanter tacuit, ab eo irrisus exivit. Scriptum namque est: Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de illo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Ubi subditur: interrogabat autem illum multis sermonibus, at ipse illi nihil respondebat. Taceus vero Dominus, quam sit despectus ostenditur, cum illud protinus subinfertur: Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit. Quod videlicet factum oportet nos audientes discere, ut, quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnino taceamus, ne si ostentationis studio Verbum Dei loquimur, et illorum culpa, quae erat, esse non desinat, et nostra, quae non erat, fiat. Tu autem.

℟. Ego propter te Cananaeorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale; * Et tu dedisti Capiti meo Spineam Coronam, et percussisti arundine Caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu dedisti Capiti meo etc.

Lectio V.

Lib. ut supr. Cap. 17.

REquisitus Jesus etiam a Pilato tacuit, atque inter persequutorum manus et Corpus passioni obtulit, quod pro electis assumpserat, et resistentibus noluit demonstrare, quod erat. Unde etiam per Psalmistam dicitur: posuerunt me in abominationem sibi; traditus sum, et non egrediebar. Cum enim despiceretur, quia homo videbatur, egressus esset, si occultam majestatem suam ostentare voluisset. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscon-

dit, in eo quod persequutoribus suis incognitus mansit, ad eos minime exivit. Qui tamen ad electos exit, quia Divinitatis suae suavitatem quaerentibus aperuit. Unde ei per Prophetam dicitur; Existi in salutem Populi tui, ut salvos facias Christos tuos. Tu autem.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, * Et tu me caecidisti alapis, et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi ≈ Et tu me etc.

Lectio VI.

Idem Lib. 3. Moral. Cap. 11.

MEmbrum Satanae Pilatus extitit, qui usque ad mortis extrema venientem in Redemptionem nostram Dominum non cognovit. Corpus autem ejus Principes Sacerdotum extiterunt, qui Redemptorem mundi a Mundo repellere usque ad Crucem persequendo conati sunt. Cum ergo se pro nostra Redemptione Dominus membrorum Satanae manibus tradidit, quid aliud, quam ejusdem Satanae manum in se saevire permisit? ut unde ipse exterius occumberet, inde nos exterius interiusque liberaret. Si igitur Satanae manus, ejus potestas accipitur, ejus manum juxta carnem pertulit, cujus potestatem corporis usque ad sputa, colaphos, flagella, Crucem, lanceamque toleravit. Unde et Pilato, ejus videlicet corporis membro, ad Passionem veniens dicit: Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi data esset desuper. Tu autem.

℟. Ego exaltavi te magna virtute: * Et tu me suspendisti in patibulo Crucis, *. In qua expandi manus meas ad Populum non credentem, et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi ≈ Et tu me etc. Gloria Patri etc. ≈ In qua etc.

In III. Nocturno.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

IN illo tempore sciens Jesus, quia omnía consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Sancti Hieronymi Presbyteri.

Ex Commem. in Matth. lib. 4. Cap. 27.

CIrca horam Nonam clamavit Jesus voce magna: Eli, Eli, lammasabacthani; hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Principio vigesimi primi Psalmi abusus est; illudque, quod in medio versiculo legitur. Respice in me, superfluum est. Legitur enim in Hebræo: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Ergo impii sunt, qui Psalmum istum ex persona David, sive Esther, et Mardochæi dictum putant? cum etiam Evangelistæ testimonia ex eo sumpta super Salvatorem intelligant, ut est illud: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Et aliud: Foderunt Manus meas, et Pedes meos, Ne mireris verborum humilitatem, et querimonias derelicti, cum formam servi sciens scandalum Crucis videas. Quidam autem illic stantes, et audientes dicebant: Eliam vocat iste. Tu autem.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu etc.

Lectio VIII.

ET continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Et hæc facta sunt, ut compleretur Prophetia; In siti mea

potaverunt me aceto. Usque hodie Judaei, et omnes increduli Dominicae Resurrectionis aceto, et felle potant Jesum, et dant ei Vinum myrrhatum, ut eum consopiant, et mala eorum non videat. Jesus autem iterum clamans voce magna emisit Spiritum. Divinae potestatis indicium est, emittere Spiritum, ut ipse quoque dixerat: Nemo potest tollere Animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso, et rursum accipiam eam. Tu autem.

℟. Ego ante te aperui mare: * Et tu aperuisti Lancea Latus Salvatori tuo? * Qui redemit Mundum in Sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu aperuisti etc. Gloria Patri etc. = Qui redemit Mundum etc. =

Lectio IX.

ET ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. Velum templi scissum est, et omnia legis sacramenta, quae prius tegebantur, prodita sunt, atque ad gentium Populum transierunt. In Evangelio, cujus saepe facimus mentionem, superliminare templi infinitae magnitudinis fractum esse, atque divisum legimus. Josephus quoque refert, Virtutes Angelicas praesides quondam templi tunc pariter conclamasse: Transeamus ex his sedibus. Et terra mota est, et petrae scissae sunt. Nulli dubium est, quid significet juxta litteram magnitudo signorum, ut Crucifixum Dominum suum et Caelum, et Terra, et omnia demonstrarent. Sed mihi videtur, terraemotus, et reliqua typum ferre credentium, quod pristinis errorum vitiis derelictis, et cordis emollita duritie, qui prius similes erant tumulis mortuorum, postea agnoverint Creatorem. Tu autem.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus. Antiph.

Bajulans Jesus sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locus, ubi crucifixerunt eum, et cum eo latrones duos, unum a dextris, et alterum a sinistris.

Ad Magnificat. Antiphona.

Ait latro ad latronem : Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Sexta die infra Octavam Dominicae Passionis.

Officium fit de Dominica cum comm. Oct. in Laudibus, et Vesperis, ut infra.
Pro commemoratione Dominicae Passionis.
Ad Benedictus. Antiphona.

Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

Ad Magnificat. Antiphona.

Cum vidisset Jesus Matrem, et Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae : Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo : Ecce Mater tua.

FERIA SECUNDA

Post Dominicam Quinquagesimae.

Septima die infra Octavam Dominicae passionis

In I. Nocturno.

Lectio I.

De Zacharia Propheta. *Cap. 3.*

ET contestabatur Angelus Domini Jesum dicens : Haec dicit Dominus Exercituum : Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, et custodieris atria mea, et dabo tibi ambulantes

de his, qui nunc hic assistunt. Audi, Jesu Sacerdos magne, tu, et amici tui, qui abitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam servum meum Orientem. Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu; super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego caelabo sculpturam ejus, ait Dominus Exercituum, et auferam iniquitatem terrae illius in una die. Tu autem.

℟. Vinea mea electa, Ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara; * Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Quia parasti etc.

Lectio II. *Cap. 12.*

IN die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem, et erit, qui ostenderit ex eis in die illa, quasi David, et Domus David quasi Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eorum. Et erit in die illa: quaeram conterere omnes gentes, quae venient contra Jerusalem. Et effundam super Domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae, et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu, quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem. Tu autem.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te praeivi in columna nubis; * Et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et me duxisti ad Praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me tradidisti etc.

Lectio III. *Cap. 13.*

IN die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatae. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina Idolorum de terra, et non memorabuntur ultra; et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra. Et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui

diligebant me. Framea suscitare super Pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus Exercituum. Percute Pastorem, et dispergentur oves, et convertam manum meam ad parvulos. Tu autem.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis; * Et tu me flagellatum tradidisti. * Qui tanquam Agnus coram tondente se obmutui, et non aperui os meum.
℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu me etc. Gloria Patri etc. = Qui tanquam Agnus etc.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Fer. 4. hebd. sanct. de Pass. Dom.

In Passione Dominica, Fratres, tria specialiter convenit intueri; opus, modum, caussam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in caussa charitas commendatur. Patientia autem singularis, quod videlicet cum supra dorsum ejus fabricarent peccatores, cum sic extenderetur in ligno, ut dinumerarentur omnia ossa ejus, cum fortissimum illud propugnaculum, quod custodit Israel, undique foraretur, cum foderentur manus ejus, et pedes, sicut Agnus ad occisionem ductus sit, et tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum; non adversum Patrem murmurans, a quo missus fuerat; non adversus humanum genus, pro quo, quae non rapuit, exolvebat, non denique, vel contra Populum ipsum peculiarem sibi, a quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Tu autem.

℟. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale; * Et tu dedisti Capiti meo Spineam Coronam, et percussisti arundine Caput meum.
℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi = Et tu dedisti Capiti meo etc.

Lectio V.

Modum ipsum, si diligenter attendas, non modo mitem, sed et humilem corde cognosces. Namque in humilitate judicium ejus sublatum est, cum nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima, quæ sibi objiciebantur, crimina responderet. Vidimus, inquit, eum, et non erat ei aspectus, nec speciosum forma præ filiis hominum, sed opprobrium hominum, et tamquam leprosum, novissimum virorum, plane virum dolorum, a Deo percussum, et humiliatum; ita ut nulla esset ei species, neque decor. O novissimum, et altissimum! O humilem, et sublimem! O opprobrium hominum, et gloriam Angelorum! Nemo illo sublimior, nemo humilior. Denique sputis illitus est, opprobriis saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis reputatus est. Nihil ne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, imo quæ tam est ultra modum? Sicuti est patientia singularis, sic et humilitas admirabilis, utraque sine exemplo. Tu autem,

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, * Et tu me cæcidisti alapis, et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me etc.

Lectio VI.

Utramque tamen magnifice caussa ipsa commendat, nimirum charitas est. Propter nimiam quidem charitatem suam, qua dilexit nos Deus, ut servum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius ipse pepercit. Vere nimiam, quia et mensuram excedit, modum superat, plane supereminens universis. Majorem, inquit, charitatem nemo habet, quam, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Tu majorem habuisti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam, et Tibi reconciliati sumus, et Patri. Quænam alia videbitur esse, vel fuisse, vel fore huic similis charitati? Vix pro justo quis moritur. Tu pro injustis passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti justificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos coheredes, exules Reges. Tu autem.

℟. Ego exaltavi te magna virtute; * Et tu me suspendisti in patibulo Crucis, * In qua expandi manus meas ad Populum non credentem, et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me — Gloria Patri etc. — In qua etc.

In III. Nocturno.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. 19.*

In illo tempore sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit. Sitio. Et reliqua.

Homilia Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini.

Comment. in Joannem lib. 22. cap. 35.

Cum truculenter omnia impietate Judæorum essent peracta, nec quidquam ad summam crudelitatem deessent, tandem sanctissima Caro Christi naturale quid patitur. Multis enim, ac variis doloribus exsiccata siti torquetur. Multum enim possunt dolores ad commovendam sitim. Innatum enim calorem exagitantes vel quod in profunditate humidum est consumunt, et igneis ardoribus dolentis viscera urunt. Sicut igitur cæteras passiones, sic hanc etiam sponte Christus perpessus est. Bibere igitur petit: Illi autem adeo longe ab omni humanitate aberant, ut pro juvante potu, atque jucundo, nocentem, et acerbum attulerint, et humanitatem, qua moveri videbantur, in impietatem converterint. Nam quum petenti dabant, charitatis habitum suscipere videbantur; sed non est possibile, mentiri Scripturam, in qua ex Persona Christi dicitur: Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Tu autem.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle, et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me etc.

Lectio VIII. *idem cap. 36.*

Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est; et inclinato Capite, tradidit Spiritum. Consummatum jam esse Salvator dicit, quia sæviendi Judæorum potestas in ipsum per mortem suam terminum habuit. Quid enim non excogitarunt, aut quid supremæ inhumanitatis relictum sibi est? Quis cædendi, quis contumeliandi modus non adhibitus? Merito igitur consummatum esse ait; cumque tempus jam esset, ut etiam spiritibus apud inferos praedicaret (venit enim, ut tam vivorum, quam mortuorum dominaretur) mortem pro nobis suscepit; et hanc naturæ nostræ propriam passionem sponte subiit secundum carnem, quamvis, ut Deus vita naturaliter sit, ut spoliatis inferis, primitiæ dormientium, et primogenitus, (ut Scripturæ dicunt) mortuorum factus, recursum ad vitam naturæ nostræ largiretur. Tu autem.

℟. Ego ante te aperui mare: Et tu aperuisti lancea Latus Salvatori tuo: Qui redemit Mundum in Sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu aperuisti — Gloria Patri — Qui redemit Mundum.

Lectio IX.

Inclinavit igitur Caput; accidit enim morientibus, vigore carnis jam consumpto, et anima, quæ corpus retinet, abeunte, inclinatio capitis. Quamobrem verbis hoc modo abusus Evangelista est. Sic et tradidisse Spiritum a consuetudine nostra sibi dictum est; multi enim sic extingui, et mori dicuntur; quamvis mihi videatur ideo non simpliciter mortuum esse, sed tradidisse Spiritum Evangelistam dixisse, quia in manus Dei Patris, Animam suam commendavit, ut ipse dixit: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Quod nobis magnæ spei fundamentum, atque originem præbet. Tu autem. Te Deum laudamus.

Ad Benedictus. Antiphona.

Clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum, et hæc dicens, expiravit.

Ad Magnificat.

In primis Vesp. Octava omnia dicuntur, ut in primis Vesp. Festi, excepta Orat. quae dic. ut sequitur.

ORATIO.

Effunde super nos, quæsumus Omnipotens Deus, spiritum gratiæ, et precum, ut Unigeniti Filii tui Passionem pro devotionis affectu jugiter recolere; et in populi tui corde monitis, et exemplo imprimere valeamus. Per eumdem Dominum nostrum etc.

FERIA TERTIA

Post Dominicam Quinquagesimæ.

In Octava Dominicæ Passionis: Duplex.

Omnia dicuntur, ut in die Festi, exceptis Lectionibus, quae sequuntur.

In I. Nocturno.

Lectio I.

Incipit Epistola prima B. Petri Apostoli *Cap.* 1.

Petrus Apostolus Jesu Christi electus Advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bythiniæ secundum præscientiam Dei Patris in sanctificationem spiritus, in obedientiam, et aspersionem Sanguinis Jesu Christi, gratia vobis, et pax multiplicetur. Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati; præcogniti quidem ante Mundi constitutionem; manifestati autem novissimis temporibus propter vos; qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra, et spes esset in Deo. Tu autem.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara; * Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Quia parasti etc.

Lectio II. *Cap. 2.*

In hoc enim vocati estis; quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste; qui peccata nostra ipse pertulit in Corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus; cujus livore sanati estis. Eratis enim, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum. Tu autem.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te prævivi in columna nubis; * Et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et me duxisti ad Praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me tradidisti etc.

Lectio III. *Cap. 18.*

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, id est octo animæ factæ salvæ sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ heredes efficeremur. Tu autem.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis; * Et tu me flagellatum tradidisti, * Qui tanquam Agnus coram tondente se obmutui, et non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. — Et tu me — Gloria Patri etc. — Qui tanquam Agnus etc.

Sermo Sancti Leonis Papæ.

Serm. 4. de Pass. Domini post med.

Exaltato, Dilectissimi, per Crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die, ac nocte, et non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in Crucifixo Domino, præter facinus suum, cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster vero intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriam Crucis cœlo, terraque radiantem puro, ac libero corde suscipiat, et interiori acie videat, quale sit, quod Dominus, cum de Passionis suæ loqueretur instantia, dixit: Nunc judicium mundi est; nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras; et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Tu autem.

℟. Ego propter te Chananæorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale, * Et tu dedisti Capiti meo Spineam Coronam, et percussisti arundine Caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu dedisti Capiti meo etc.

Lectio V.

O Admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium Mundi, et potestas est Crucifixi! Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses tota die manus tuas ad Populum non credentem, et contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem Judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam; cum, obscuratis luminaribus Cœli, et converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se negaret. Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso Templi velo, Sancta Sanctorum ab indignis

Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, Prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur. Tu autem.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, * Et tu me cæcidisti alapis, et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi; aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me etc.

Lectio VI.

Traxisti Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judeæ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertoque Sacramento, universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim et ordo clarior Levitarum, et dignitas amplior Seniorum, et sacratior est unctio Sacerdotum, quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est caussa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam, carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una Corporis, et Sanguinis tui implet oblatio; quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi; et ita in te universa perficis Mysteria, ut sicut unum est pro omni victima Sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum. Tu autem.

℟. Ego exaltavi te magna virtute; * Et tu me suspendisti in patibulo Crucis, * In qua expandi manus meas ad Populum non credentem, et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me etc. — Gloria Patri etc. — In qua etc.

In III. Nocturno.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

In illo tempore: sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Ven. Bedæ Presbyteri.

Lib. 5 in Evang. Luc. cap. 13. in medio.

Patrem invocando Filium Dei se esse Christus declarat. Spiritum vero commendando non defectum suæ virtutis, sed confidentiam ejusdem cum Patre potestatis insinuat. Amat enim dare gloriam Patri, ut nos ædificet dare Gloriam Creatori. Commendat itaque Patri Spiritum juxta hoc, quod delectato corde, et exultantibus spe resurgendi labiis in alio psalmo loquitur: Quoniam non derelinques Animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Tu autem.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra; Et tu me potasti felle; et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu etc.

Lectio VIII.

Quia ergo sexta die homo factus, et tota Mundi est creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit, unde et hanc Sabbatum, idest requiem vocari præcepit, recte Dominus eadem die sexta crucifixus humanæ reparationis implevit arcanum. Unde cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est, id est sexti diei, quod pro mundi refectione suscepi, totum est opus perfectum. Sabbato autem in sepulcro requiescens surrectionis, quæ octava die ventura erat, expectabat eventum.
Tu autem.

℟. Ego ante te aperui mare; * Et tu aperuisti lancea Latus Salvatori tuo, * Qui redemit Mundum in Sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu aperuisti — Gloria Patri — Qui redemit Mundum etc.

Lectio IX.

Ubi nostræ simul devotionis prælucet exemplum, quos in hac quidem sexta Mundi ætate pro Domino pati; et velut Mundo crucifigi necesse est. In septima vero ætate, id est, cum lethi quis debitum solvit, corpora quidam in tumulis; animas autem secreta in pace cum Domino manere; et post bona oportet opera quiescere; donec octava tandem veniente ætate, etiam corpora ipsa resurrectione glorificata cum animabus simul incorruptionem æternæ hereditatis accipiant. Tu autem.

Te Deum laudamus. *Reliq. ut in Festo.*

OFFICIUM

SACRATISS. CORONÆ SPINARUM D. N. JESU CHRISTI.

Duplex Majus.

Feria Sexta mensis Martii proximiore Hebdomadae Passionis, non impedita Festo novem Lectionum eodem die occurrente, fit Officium Sacratiss. Coronae Domini. Quod si omnes Feriae Sextae mensis Martii fuerint impeditae, fiet Officium de Corona Domini in una Feria Sexta, in qua occurret Festum inferioris ritus ejusdem mensis Martii, translato in alium diem Festo inferioris ritus tunc occurrente; prout praescribitur in Rubrica hujus Officii, quod recitatur in pluribus Ecclesiis hujus Civitatis. Si hoc Festum cum alio duplici ejusdem ritus occurrat, habet integras utrasque Vesperas.

Ad Vesperas.

Antiphona. Milites Præsidis; *cum reliquis de Laudibus, ut infra.*

Psalmus. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica; et loco ultimi,* Laudate Dominum omnes Gentes. *Ps. 116.*

Capitulum. Cant. 3.

Egredimini; et videte, Filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.

In utrisq. Vesp.

Hymnus.

Vexilla Regis prodeunt;
Fulget Crucis mysterium,
Qua Vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit Unda, et Sanguine.

Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Pretium pependit saeculi;
Statera facta corporis,
Tulitque praedam Tartari.
O Crux, ave spes unica,
Hoc Passionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.
Te fons salutis, Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

℣. Tuam Coronam Spineam adoramus, Domine.
℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

Ad Magnificat. Antiphona.

Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et Milites plectentes Coronam de Spinis imposuerunt Capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum.

Oratio.

Praesta, quaesumus, Omnipotens Deus, ut qui in memoriam Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Coronam ejus Spineam veneramur in terris, ab ipsa gloria, et honore coronari mereamur in Cœlis. Qui tecum.

Fit Commem. Feriae.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Summum Regem Gloriae Christum pro nobis Spinis coronatum * Venite adoremus.

Psalm. Venite, exultemus Domino.

Hymnus.

Pange, lingua, gloriosi
Lauream certaminis,
Et super Crucis trophaeo
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.
De Parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.
Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat
Multiformis proditoris
Ars, ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Conditor,
Atque ventre Virginali
Carne amictus prodiit.
Vagit infans inter arcta
Conditus praesepia,
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat,
Et Dei manus, pedesque
Stricta cingit fascia.
Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Maledicta terra in opere tuo : spinas, et tribulos germinabit tibi.

Psalm. 1.

Beatus Vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiae non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus ; * et in lege ejus meditabitur die, ac nocte

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet ; * et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii ; non sic, * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.

Ideo non resurgent impii in judicio ; * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam Justorum ; * et iter impiorum peribit. Gloria Patri.

Antiph. Maledicta terra in opere tuo : spinas et tribulos germinabit tibi.

Antiph. Ait Jesus Discipulis suis : Filius hominis tradetur et damnabunt eum morte, et illudent ei ; et conspuent eum.

Psalm. 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum ; * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in Cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem contristatus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me : * Filius meus es tu ; ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, *

et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea, * et tamquam vas figuli confringens eos.

Et nunc, Reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore; * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo. Gloria Patri etc.

Antiph. Ait Jesus Discipulis suis: Filius hominis tradetur, et damnabunt eum morte, et illudent ei, et conspuent eum.

Antiph. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram: ibi morieris; et ibi erit currus gloriae tuae. *Psalm. 3.*

Psalm. 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, ex exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri etc.

Antiph. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram: ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ.

℣. Tuam Coronam spineam adoramus, Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

Lectio I.

De Isaia Propheta . *Cap. 53.*

Quis credidit auditui nostro ? et brachium Domini cui revelatum est ? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti . Non est species ei , neque decor , et vidimus eum , et non erat aspectus , et desideravimus eum ; despectum et novissimum virorum , virum dolorum , et scientem infirmitatem ; et quasi absconditus vultus ejus et despectus ; unde nec reputavimus eum .

℟. Ecce vidimus eum non habentem faciem , neque decorem ; aspectus ejus in eo non est ; hic peccata nostra portavit , et pro nobis dolet , ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras : * Cujus livore sanati sumus .

℣. Vere languores nostros ipse tulit , et dolores nostros ipse portavit — Cujus .

Lectio II.

Vere languores nostros ipse tulit , et dolores nostros ipse portavit ; et nos putavimus eum quasi leprosum , et percussum a Deo et humiliatum . Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras , attritus est propter scelera nostra ; disciplina pacis nostrae super eum ; et livore ejus sanati sumus . Omnes nos quasi oves erravimus , unusquisque in viam suam declinavit , et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum .

℟. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum ? * Et dicet : His plagatus sum in domo eorum , qui diligebant me .

℣. Framea suscitare super pastorem meum , et super virum cohaerentem mihi — Et dicet.

Lectio III.

De Zacharia Propheta *Cap. 12. et 13.*

Et erit in die illa : quaeram conterere omnes gentes, quae veniunt contra Jerusalem . Et effundam super Domum David , et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae , et precum ; et aspicient ad me , quem confixerunt , et plan-

gent eum planctu quasi super unigenitum ; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem; et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus Exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves: et convertam manum meam ad parvulos.

℟. Tuam Coronam Spineam veneramur, Domine, tuam gloriosam recolimus passionem. * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

℣. Salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam — Miserere — Gloria Patri — Miserere.

In II. Nocturno.

Antip. Pro frumento ortus est mihi tribulus ; et pro hordeo Spina.

Psalmus 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum;* Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino: * multi dicunt, quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui: * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me. Gloria Patri.

Antiph. Pro frumento ortus est mihi tribulus; et pro hordeo Spina.

Antiph. Egredimini, et videte, Filiæ Sion, Dominum Jesum Christum in diademate, quo coronavit illum Synagoga mater sua.

Psalm. 5.

Verba mea auribus percipe, Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine, mane exaudies vocem meam.

Mane adstabo tibi, et videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum, et dolosum abominabitur Dominus;* ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: * judica illos Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secudum multitudinem impietatum eorum expelle eos: * quoniam irritaverunt te, Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: * in æternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum:* quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Gloria Patri.

Antiph. Egredimini, et videte, Filiæ Sion, Dominum Jesum Christum in diademate, quo coronavit illum Synagoga mater sua.

Antiph. Vidimus eum, et non erat aspectus, et quasi absconditus vultus ejus: unde nec reputavimus eum.

Psalm. 8.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra. *

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, * lunam, et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, et honore coronasti eum; * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves, et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Gloria Patri.

Antiph. Vidimus eum, et non erat aspectus, et quasi absconditus vultus ejus: unde nec reputavimus eum.

℣. Eripe me de inimicis meis, Deus meus.

℟. Et ab insurgentibus in me libera me.

Lectio IV.

De Homilia S. Athanasii Episcopi in Passionem Domini. *tom.* 3.

Cum exueretur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de Diabolo trophæum; et quo illud manifestum fieret, narratur a Joanne, indutum fuisse purpura, a Matthæo vero et Marco, chlamyde coccinea, coronamque illi ex Spinis super caput esse positam, et calamum in manus datum; et ita cum eum produxissent, genibus flexis adorasse. Miraculum novum, et incredibile, et magnæ sine dubio victoriæ insigne: quem enim ut hominem condemnaverunt, eum mortuum deinde ut Deum adoraverunt: et quem aspernabantur ut vilem, et contemptibilem, eum

confitebantur Regem : cui tunicam , et vestem detraxerant, cum purpura circumdederunt : et quem ignorantes contumeliis afficiebant , eum Prophetam etiam nolentes appellaverunt : et quem per ludibrium , subsannationemque pulsabant , ei triumphalia addiderunt ornamenta , coccineam chlamydem , et Coronam Spineam , et calamum. Nam tametsi ea quasi per contumeliam agebant , efficiebatur tamen inde , ut ab eo latenter spoliarentur.

℟. Insurrexerunt in me viri iniqui ; absque misericordia quaesierunt me interficere ; et non pepercerunt in faciem meam spuere ; et lanceis suis vulneraverunt me ; et concussa sunt omnia ossa mea : * Ego autem existimabam me tanquam mortuum super terram.

℣. Effuderunt furorem suum in me , fremuerunt contra me dentibus suis — Ego autem.

Lectio V.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Sermo 72. de S. Cypriano, alias 18. vel 58. vel 73.

Videamus diligenter , ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis uva , sed fellis ; ne dicatur nobis, quod Judæis dictum est per Prophetam : Sustinui , ut faceret uvam . fecit autem Spinas , et non justitiam , sed clamorem. Quam dura conditio , ut possessio, quæ Domino suo suavitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit : hoc est , cum Judæi Salvatorem debuerunt tota fidei devotione suscipere , Spinarum eum coronaverunt passione . Quæ Corona quidem , quantum in Judæis est , erat injuriarum contumelia ; quantum in Domino , erat Corona virtutum. Compungunt ergo Judæi Dominum , dum coronant ; compungunt , dum crucifigunt. Unde ait Scriptura Sancta: Videbunt in quem compunxerunt.

℟. Omnes amici mei dereliquerunt me, et praevaluerunt insidiantes mihi , tradidit me , quem diligebam . * Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes ; subsannabant mihi.

℣. Inter iniquos projecerunt me , et non pepercerunt Animae meae — Et terribilibus.

Lectio VI.

IGitur, fratres, videte, ne et nobis dicatur: Sustinui, ut faceret uvam, fecit autem Spinas: hoc est, ne Spinas, quas Domino Judaei cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, et compungamus eum non asperitate sensuum, sed operum pravitate. Sunt enim Spinae cordis, quae Verbum Dei etiam vulnerare consueverunt, de quibus meminit in Evangelio Salvator dicens, Seminantis semen cecidisse inter Spinas, et crevisse eas, ac suffocasse quod satum est. Ergo, fratres, videte, ne vinea vestra non uvas, sed Spinas faciat; ne vindemia vestra non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit, et pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non vinum. Quisquis messes recondit, et indigentibus non ministrat, iste non alimoniae fructus reposuit, sed tribulos avaritiae congregavit. Nam propterea sit Scriptura de terra nostra: Spinas et tribulos germinabit tibi.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi. * Quomodo conversa es in amaritudinem, ut me Spinis coronares.

℣. Sepivi te, et lapides elegi ex te, et aedificavi turrim = Quomodo = Gloria Patri = Quomodo.

In III. Nocturno.

Antiph. Gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur Spina.

Psalmus 95.

CAntate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus; * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annunciate inter gentes gloriam ejus: * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii Gentium daemonia: * Dominus autem Coelos fecit.

Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus, * sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriae Gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur: * judicabit populos in aequitate.

Laetentur coeli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus, * gaudebunt campi, et omnia, quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, * et populos in veritate sua. Gloria Patri.

Antiph. Gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Antiph. Christus Jesus splendor Patris, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, Spinis coronatus apparere dignatus est.

Psalm. 96.

Dominus regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes, et caligo in circuitu ejus: justitia, et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum odite malum : * custodit Dominus animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberavit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino : * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus. Gloria Patri.

Antiph. Christus Jesus splendor Patris, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, Spinis coronatus apparere dignatus est.

Antiph. Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi: Tu imposuisti Coronam Spineam Capiti meo, et arundine percussisti.

Psalm. 97.

Cantate Domino canticum novum : * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, * et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terrae * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra : * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara, et voce psalmi:* in tubis ductilibus, et voce tubae corneae.

Jubilate in conspectu Regis Domini ; * moveatur mare, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu ; simul montes exultabunt a conspectu Domini : * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in aequitate. Gloria Patri.

Antiph. Popule meus; quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi: Tu imposuisti Coronam Spineam capiti meo, et arundine percussisti.

℣. Deus meus eripe de manu peccatoris.

℟. Et de manu contra legem agentis, et iniqui.

sive permiserit; illa scilicet causa, quam supra diximus, ut haec ejus ludibria inimici libentissime biberet, et ulterius Sanguinem non sitirent. Egreditur ad eos Jesus portans Spineam Coronam, et purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio; et dicit eis: Ecce Homo. Si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis: Flagellatus est, Spinis coronatus, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis caesus est; fervet ignominia, frigescat invidia: sed non frigescit, inardescit potius et increscit.

℟. Milites Praesidis suscipientes Jesum in Praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei; * Et plectentes Coronam de Spinis posuerunt super Caput ejus.

℣. Genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judaeorum = Et plectentes = Gloria Patri = Et plectentes.

Nona lectio erit Homil. feriaè, et in fine dicit.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Milites Praesidis suscipientes Jesum in Praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem.

Psal. Dominus regnavit *cum reliq. de Dom.*

Antiph. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.

Antiph. Et plectentes Coronam de Spinis posuerunt super Caput ejus, et arundinem in dextera ejus.

Antiph. Et genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judaeorum.

Antiph. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant Caput ejus.

Capitulum. *Cantic. 3.*

EGredimini, et videte, Filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

Hymnus.

Lustra sex qui jam peregit,
Tempus implens corporis.
Sponte libera Redemptor,
Passioni deditus,
Agnus in Cruce levatur,
Immolandus stipite.
Felle potus ecce languet:
Spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt.
Unda manat, et cruor,
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavantur flumine!
Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis.
Sylva talem nulla profert
Fronde, flore, germine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinent.
Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas;
Et superni membra Regis
Tende miti stipite.
Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam,
Atque portum praeparare
Arca mundo naufrago,
Quam sacer cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.
Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius, Trinique nomen
Laudet Universitas. Amen.

℣. Advertantur retrorsum, et erubescant.
℟. Qui cogitant mihi mala.

Ad Benedictus Antiphona.

Milites induunt Jesum purpura, et imponunt ei plectentes Spineam Coronam; et coeperunt salutare eum: Ave Rex Judaeorum.

Fit comm. Feriae. *Ad Primam.*

In ℟. *brevi.* ℣. Qui passus es pro homine.

℟. Miserere nobis. Gloria Patri.

Ad Tertiam.

Antiph. Et exuentes eum.

Capit. Egredimini, *ut supra.*

℟. *br.* Tuam Coronam Spineam * adoramus Domine = Tuam Coronam Spineam.

℣. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

Adoramus = Gloria Patri = Tuam Coronam.

℣. Miserere nostri, Domine.

℟. Qui passus es pro nobis.

Ad Sextam.

Antiph. Et plectentes Coronam.

Capitulum. *Isa. 53.*

Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: Despectum, et novissimus virorum, virum dolorum, et quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum.

℟. *brev.* Miserere nostri, * Domine. Miserere nostri, * Domine.

℣. Qui passus es pro nobis.

℟. Domine = Gloria Patri = Miserere.

℣. Tibi gloria, tibi triumphus, et victoria.

℟. Tibi summae laudis, honoris Corona.

Ad Nonam.

Antiph. Et expuentes in eum.

Capitulum. *Joan. 19.*

EXivit Jesus portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis Pilatus: Ecce Homo.

℟. *brev.* Tibi gloria, * tibi triumphus, et victoria = Tibi gloria.

℣. Tibi summae laudis, et honoris Corona = Tibi triumphus = Gloria Patri = Tibi gloria.

℣. Tuam Coronam Spineam veneramur, Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

In secundis Vesperis omnia ut in primis, cum comm. Feriae.

Ad Magnificat. Antiph.

O Coronae miranda dignitas! mortis poenas debitas repellis: tu spes lapsis, firmitas infirmis; tu restauras Coronas perditas.

OFFICIUM

DE CLAVIS, ET LANCEA DOMINI

Duplex Majus.

In primi Vesperis. Antiphona.

Hasta Regem gloriæ, *cum reliq. de Laud. ut infra.*

Psalmus. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dominica, et loco ultimi Psal.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *Sap.* 5.

Sumet Dominus scutum inexpugnabile, æquitatem: acuet autem duram iram in Lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Hymnus.

Pange lingua gloriosæ
Lanceæ præconium,
Quæ reclusit pretiosæ
Cataractæ fluvium,
Passo Christo dolorose
Pro salute Gentium.
Hasta gazis præoptata.
Mundi pandit pretium.
Cordis tactu præparata
Fit sagitta fortium
Arma Clavi sunt beata
Contra vires Dæmonum.
Dulcis Hasta Dei latus
Spoliasti sanguine
Dulces clavi, qui reatus
Expurgastis flumine;
Ut sit Mundus èmundatus,
Et sanatus vulnere.
Hasta fulcit viatores,
Et timentes animat,
Et ostenso bellatores
Cordis succo roborat,
Clavus firmat, et dat rores,
Pusillosque recreat.

Jesu, victor inferorum,
Qui triumphas Lancea
Et virtute qui Clavorum
Restaurasti omnia,
Fac, ut horum nos armorum
Muniant præsidia. Amen.

℣. Accipiet armaturam zelus illius.
℟. Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.

Ad Magnificat. Antiphona.

Gaude, pia plebs justorum, omne genus Christianorum, tantis de muneribus; nam clenodia salutis tibi dedit Rex virtutis suis de vulneribus; Clavos, Lanceam, et Crucem, ut sequaris Christum Ducem.

Oratio.

Deus, qui in assumptæ carnis infirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro Mundi salute voluisti, concede propitius, ut, qui eorumdem Clavorum et Lanceæ solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriæ tuæ triumpho gratulemur in cœlis. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre.

Ad Matut. Invitat. Cœlestis Regis Lanceam, venite adoremus. * Et pro Clavis ejus, Christo jubilemus.

Ps. Venite exultemus.

Hymnus.

Sacris solemniis sonent præconia,
Armorum Domini, per quæ victoria
Venit Christicolis: sint in memoria
Crux, et Clavi, et Lancea.
Crux apud inferos spoliat tartara,
Lancea superis tribuit præmia,
Clavi consociant cœlos, et infima,
Fletum mutant lætitia.
Clavus dum figitur in Dei manibus,
Et dum demergitur in sacris pedibus,
Hasta dum fodicat latus, hominibus
Manat gratiæ fluvius.

Lancea sæviens in Dei pectore,
Et inde proferens Aquam cum Sanguine,
Mundum lætificat impetu fluminis,
Omnes ad aquas currite.
Te, summa Deitas, Cœlum magnificat,
Ordo Seraphicus laudibus insonat.
His noster pariter cœtus se misceat,
Et in sæcula te canat. Amen.

In I. Nocturno

Antiph. Exaltatur Crucis lignum: dum Christus occubuit lanceatus, a maligno hoste nos eripuit.

Psalm. 1.

Beatus Vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus, * et in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet; et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio; * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum; et iter impiorum peribit. Gloria Patri.

Antiph. Exaltatur Crucis lignum; dum Christus occubuit lanceatus, a maligno hoste nos eripuit.

Antiph. Videte gloriosa loca Clavorum, et Latus meum Lancea perforatum pro salute Mundi.

Psalm. 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum; * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in Cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu; ergo hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * et tamquam vas figuli confriges eos.

Et nunc; Reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus,* et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo. Gloria Patri etc.

Antiph. Videte gloriosa loca Clavorum, et Latus meum Lancea perforatum pro salute Mundi.

Antiph. Latus ejus aperuit, patefecit ostium vitæ, ingrediamur illud.

Psalm. 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum, * et exurrexi, quia dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri etc.

Antiph. Latus ejus aperuit, patefecit ostium vitae, ingrediamur illud.

℣. Tuam Lanceam adoramus, Domine.

℟. Tuam gloriosam Passionem recolimus.

Lectio I.

De libro secundo Paralipomenon. *Cap. 3.*

Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta; posuitque ea Rex in armamentario, quod erat consitum nemore. Tu autem.

℟. Videte gloriosa loca Clavorum, et Latus meum Lancea perforatum pro salute Mundi. * Palpate et videte, quia ego ipse sum.

℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit — Palpate etc.

Lectio II.

De libro Sapientiæ. *Cap. 25.*

Et accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem. Acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Tu autem.

℟. Latus ejus aperuit: * patefecit ostium vitæ.

℣. Ingrediamur illud — Patefecit etc.

Lectio III.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios. *Cap. 6.*

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus Principes et Potestates; adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, con-

tra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Tu autem.

℟. Inter Clavos * Christus in Cruce separatus est.

℣. Et in sancta resurrectione mundus in ejus laudibus vigilavit etc. — Christus etc. — Gloria Patri etc. — Christus etc.

In II. Nocturno.

Antiph. Tuam Lanceam, adoramus, Domine, et tuam gloriosam Passionem recolimus.

Psalm. 4.

CUm invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum: * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino: * multi dicunt, quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: * dedisti laetitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui: * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me. Gloria Patri.

Antiph. Tuam Lanceam adoramus, Domine, et tuam gloriosam Passionem recolimus.

Antiph. Dulces Christi Clavi, pungite corda nostra.

Psalm. 5.

VErba mea auribus percipe, Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meae, * Rex meus, et Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine, mane exaudies vocem meam.

Mane adstabo tibi, et videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum, et dolosum abominabitur Dominus: * Ego autem in multitudine misericordiae tuae.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: * judica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: * quoniam irritaverunt te, Domine.

Et laetentur omnes, qui sperant in te: * in aeternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae * coronasti nos.

Gloria Patri.

Ant. Dulces Christi Clavi; pungite corda nostra.

Ant. Christus pro nobis Clavis; fossus in palmis, atque pedibus

Psalm. 8.

DOmine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Quoniam elevata est magnificentia tua * super Coelos.

Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, et ultorem.

Quoniam videbo Cœlos tuos, opera digitorum tuorum, * lunam, et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, et honore coronasti eum; * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves, et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres Cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Gloria Patri.

Antiph. Christus pro nobis Clavis fossus in palmis, atque pedibus.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

Lectio IV.

Sermo Innocentii Papæ Sexti.

In decreto de Festo Lanceae, et Clavorum Domini.

IN Redemptoris nostri Domini Jesu Christi, sacratissima Passione sic nos gloriari oportet, ut ipsius Passionis cuncta mysteria dinumerantes et merita, singulis etiam ejus salutaribus instrumentis gloriemur; inter quae illud celebriter memorandum est, quod ipse Salvator, emisso in Cruce jam Spiritu, sustinuit, perforari Lancea Latus suum, ut, inde Sanguinis, et Aquae profluentibus undis, formaretur unica, et immaculata, ac virgo Sancta Mater Ecclesia Sponsa sua. O beatissima ipsius sacrilateris apertura, unde nobis tot, et tanta divinæ pietatis dona fluxerunt! O felix Lancea, quæ tot bona nobis efficere, et ad tanti triumphi gloriam meruit superaddi! Tu autem.

℣. Surge, Virgo Ecclesia, Sponso redde munia; tui gratia Clavi imprimunt vestigia, per quae ruit infernalis Sisara: * Nam Clavum Jahel malleo fixit in ejus tempora.

℣. Dulces Clavi, pungite corda nostra = Nam Clavune etc.

Lectio V.

HÆc Latus ipsum aperiendo, sacratissimas januas nobis Regni Coelestis aperuit. Haec vulnerando jam mortuum, vulnera nostra sanavit, vitamque nobis reddidit et salutem. Haec innoxium transfigendo, illius Sanguine culpas nostras abstersit; et demum ejusdem sacratissimis undis irrigata, caecitatis nostrae tenebras sustulit, et nos ipsius divinae pietatis fluviis mundavit. Illi etiam dulces Clavi, quibus ipse Salvator eidem Cruci fuit affixus, quique non solum immaculato respergi Sanguine, et molem ferre tanti ponderis meruerunt, sed et nos etiam per ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tantam ipsius divinae charitatis accepimus, ut manus nostrae a peccati solutae nexibus, pedesque nostri a mortis laqueis fuerint liberati, sunt devotissime recolendi. Tu autem.

℟. Hasta nitet * margaritis nimis coruscantibus.

℣. Mucro gemmis infinitis sanguine veruantibus = Margaritis etc.

Lectio VI.

QUid enim vulnere, et plagis hujusmodi sanctius? Quid eis salubrius, ex quibus salus nostra processit, et in quibus assidue se possunt curare animae devotorum? Licet igitur Lancea, et Clavi praedicti, aliaque ipsius Passionis salutaria instrumenta sint a cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda, et de ipsa etiam Passione in eadem Ecclesia solemnia annis singulis officia celebrentur, et fiant, dignum tamen, et conveniens reputamus, si de ipsius Passionis specialibus instrumentis, et praesertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne, ac speciale festum celebretur, et fiat; Nosque illos fideles Christi, qui aliqua ex instrumentis ipsis habere se gaudent, in eorum devotione, divinis officiis, atque muneribus specialiter foveamus.

℟. Jesu nostra spes * suavis ab uberibus.

℣. Pro nobis fossus Clavis in palmis, atque pedibus = Suavis = Gloria Patri = Suavis etc.

In III. Nocturno

Antiph. Tu, Christe, nostrum gaudium, de lanceato Latere da oris mellicidium ardenti corde sugere.

Psalm. 95.

CAntate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus; * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus: * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes Dii Gentium dæmonia: * Dominus autem Cœlos fecit.

Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus, * sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriae Gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: * judicabit populos in aequitate.

Lætentur Cœli, exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus, gaudebunt campi, et omnia, quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, * et populos in veritate sua. Gloria Patri.

Antiph. Tu, Christe, nostrum gaudium, de lanceato Latere da oris mellicidium ardenti corde sugere.

Antiph. Vibrans miles Lanceam acutissimam aperuit templum sanctum gloriae Dei.

Psalm. 96.

Dominus regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multae.

Nubes, et caligo in circuitu ejus: * justitia, et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt Cœli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes Deos.

Qui diligitis Dominum odite malum: * custodit Dominus animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberavit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino: * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus. Gloria Patri.

Antiph. Vibrans miles Lanceam acutissimam aperuit templum sanctum gloriæ Dei.

Tuam Lanceam adoremus, tuam gloriosam recolimus Passionem

Psalm. 97.

Cantate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suæ, * et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra : * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara, et voce psalmi : * in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini ; * moveatur mare, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini : * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in æquitate. Gloria Patri.

Antiph. Tuam Lanceam adoramus, tuam gloriosam recolimus Passionem.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

IN illo tempore, sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit : Sitio. Et reliqua.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joan.

UNus Militum Lancea Latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis, et Aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret : Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit : ut illud quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille Sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutaris temperat poculum, haec et lavacrum praestat, et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noe in latere arcae ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia. Tu autem.

℟. Vibrans miles Lanceam acutissimam aperuit templum sanctum gloriae Dei: * In quo habitat pleniduto Divinitatis.

℣. Ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors = In quo etc.

Lectio VIII.

PRopter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum, magnumque signavit bonum ante magnum praevaricationis malum, et secundus Adam, inclinato Capite, in Cruce dormivit; ut inde formaretur ei Conjux, quae de Latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt? quid isto Sanguine mundius? quid vulnere isto solubrius? Facta sunt enim haec, inquit, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Tu autem.

℣. Tuam Lanceam adoramus, Domine: * Tuam gloriosam recolimus Passionem.

℟. Hasta Regem gloriae cruentavit Christum = Tuam = Gloria Patri = Tuam etc.

Lectio IX.

DUo testimonia de Scripturis singulis reddidit, quasi facta fuissent, narravit. Nam quia dixerat: Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ad hoc pertinet testimonium: Os non comminuetis ex eo; quod praeceptum est eis, qui celebrare Pascha jussi sunt ovis immolatione in veteri lege, quae Dominicae Passionis umbra praecesserat. Unde Pascha nostrum immolatus est Christus, de quo Isaias Propheta dixerat: Sicut ovis ad occisionem ductus est. Item quia subjunxerat dicens: Sed unus militum Lancea Latus ejus aperuit; ad hoc pertinet alterum testimonium: Videbunt, in quem transfixerunt. Ubi promissus est Christus in ea, qua crucifixus est, carne venturus. Tu autem.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Hasta Regem Gloriæ Christum cruentavit, dum Crucis in arbore Dominus regnavit.

Psal. Dominus regnavit *cum reliq. de Dominica.*

Ant. Hanc tremendam Lanceam omnes adoremus, et in ejus laudibus semper jubilemus.

Ant. Unus militum Lancea Latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis, et Aqua.

Ant. Fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum.

Ant. Sempiterna gaudia Christus tunc donavit, cum Clavis, et Lancea mortem superavit.

Capitulum. *Sap. 5.*

SUmet Dominus scutum inexpugnabile, æquitatem; acuet autem duram iram in Lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens
Salvare quod perierat,
Hasta, Clavisque moriens
Complevit ad quod venerat.
O gloriosa Lancea,
Timor, tremorque Dœmonum,
Regna pandis siderea,
Per sanctæ necis meritum.
Tu Clavorum stigmatibus
Emanas Mundi pretium.
Et cunctis aromatibus
Spirans odorem cælicum.
In corde Christi mergitur
Mucro leone sævior:
De forti fons exoritur,
Cibusque melle dulcior.
In Natum Pater phialam
Effudit iracundiæ,

Ut nobis cœnam maximam
Gratis suæ det gloriæ.
O Christe nostrum gaudium,
De vulnerato Latere
Da lac, et vinum depluum
Ardenti corde sugere.
Precamur, Auctor omnium,
Tu nostra sis refectio:
Tuorum quoque meritum
Armorum sis protectio. Amen.

℣. Per sanctam Lanceam de inimicis nostris
℟. Libera nos, Deus noster.

Ad Benedictus. Antiphona.

O felix, et omni laude digna Lancea Salvatoris quae pertransiens Latus ejus chirographum peccati affixit patibulo Crucis.

Oratio.

Deus, qui assumptæ carnis infirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro Mundi salute voluisti, concede propitius, ut qui eorumdem Clavorum, et Lanceæ solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriæ tuæ triumpho gratulemur in Cœlis. Qui vivis etc.

Qui vulneratus es pro nobis.

Ad Tertiam. Antiphona.

Hanc tremendam Lanceam.

Capitul. Sumet Dominus, *ut supra.*

℟. *breve*. Apprehende * Arma, et scutum = Apprehende.

℣. Et exurge in adjutorium mihi = Arma, et scutum = Gloria Patri = Apprehende.

℣. Foderunt manus meas, et pedes meos.
℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ad Sextam. Antiphona.

Unus Militum.

Capitulum. Apoc. 1.

GRatia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et Princeps Regum terræ: qui dilexit nos; et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo.

℟. *breve.* Foderunt * Manus meas, et pedes meos = Foderunt.

℣. Dinumeraverunt omnia ossa mea = Manus = Gloria Patri = Foderunt.

℣. Quem tu percussisti, persecuti sunt.

℟. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Ad Nonam. Antiphona.

Sempiterna gaudia.

Capitulum. Apoc. 1.

EGo sum primus, et novissimus, et vivus, qui fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum.

℟. *breve.* Quem tu percussisti, * persecuti sunt = Quem tu.

℣. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt = Persecuti = Gloria Patri = Quem tu.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

In II. Vesp. omnia, ut in primis, et loco ultimi, Psalm. Credidi, propter quod.

Ad Magnificat Antiphona.

Collaudemus Christi clementiam, qui per gloriosos Clavos et Lanceam dat Ecclesiæ de inimicis victoriam, et in Cœlo vitam, et coronam perpetuam.

Oratio. Deus, qui etc. *ut supra.*

OFFICIUM

SACRORUM QUINQUE VULNERUM D. N. JESU CHRISTI.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Vere languores nostros *cum reliq. de Laud.*
Psal. Credidi *cum reliq. ut ad Vesp. pag. 3.*

Capitulum. *Isajae 53.*

CHristus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

PAnge, lingua, gloriosi
Lauream certaminis,
Et super Crucis trophæo
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.
De Parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat
Multiformis proditoris
Ars, ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde læserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris

Natus, orbis Conditor;
Atque ventre Virginali
Carne amictus prodiit.
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia,
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat,
Et Dei manus, pedesque
Stricta cingit fascia.
Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

℣. Videbunt, in quem transfixerunt.
℟. Et dolebunt super eum, ut in morte Primogeniti.

Ad Magnificat. Antiphona.

Dum in Cruce penderet Unigenitus Dei Filius, et ab omnibus subsannaretur, Mater ejus Virgo Maria ipsum verum Deum, et Hominem condolens venerabatur.

Oratio.

Deus, qui Unigeniti Filii tui Passione, per quinque Vulnera ejus, et Sanguinis effusionem humanam naturam peccato perditam reparasti; tribue nobis, quæsumus, ut qui ab eo suscepta Vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in Cælis. Per eumdem Dominum.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Christum in Cruce confixum, quinque plagis vulneratum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus etc.

Hymnus Pange lingua gloriosi Lauream certaminis, etc.

Ant. Quis est, qui venit de Edom, tictis vestibus de Bosra?

Psalm. 10.

IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, * transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam, quæ perfecisti, destruxerunt; * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo, * Dominus, in Cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * æquitatem vidit vultus ejus. Gloria Patri.

Ant. Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus, de Bosra?

Ant. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Psalm. 14.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto suo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum. Gloria Patri.

Antiph. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Antiph. Torcular calcavi solus, et de Gentibus non fuit vir mecum.

Psalm. 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus, * orbis terrarum, et universi; qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus.

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portæ æternales, * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portae aeternales, * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est iste Rex gloriae. Gloria Patri.

Antiph. Torcular calcavi solus, et de Gentibus non fuit vir mecum.

℣. Foderunt Manus meas, et Pedes meos.

℟. Dinumeraverunt omnia Ossa mea.

Lectio I.

De Isaia Propheta.

Cap. 53.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desidera-

vimus eum; despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humilitatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Tu autem.

℟. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo: * In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus in remissionem peccatorum.

℣. Ecce venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terra — In quo habemus etc.

Lectio II.

OMnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi Agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Tu autem.

℟. Nos, qui aliquando eramus longe, facti sumus prope per Sanguinem Jesu Christi: * Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

℣. A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris — Ipse est pax nostra etc.

Lectio III. *Cap. 63.*

QUis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular

calcavi solus, et de Gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi: dies enim ultionis in corde meo, annus Redemptionis meae venit: circumspexi, et non erat auxiliator; quaesivi, et non fuit, qui adjuvaret. Tu autem.

℟. In primogenito ex mortuis complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum. * Pacificans per Sanguinem Crucis ejus sive quae in Cœlis, sive quae in terris sunt.

℣. Ipse est Caput corporis Ecclesiae: in omnibus primatum tenens = Pacificans per sanguinem = Gloria Patri = Pacificans.

In II. Nocturno.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Psalm. 21.

DEus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte; et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt Patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino; eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meae: In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu: * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi : * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum : * sicut leo rapiens, et rugiens.

Sicut aqua effusus sum ; * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factus est cor meum tanquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis : * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi : * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos : * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me : * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me : * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam : * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis : * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis : * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum : * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel : * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me : * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna : * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum : * vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum : * universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus : * universae familiae Gentium.

Quoniam Domini est regnum : * et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ : *

in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * et annuntiabunt Cœli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. Gloria Patri etc.

Antiph. Foderunt Manus meas, et Pedes meos, dinumeraverunt omnia Ossa mea.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

Psalm. 65.

JUbilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, * date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine! * in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi: * psalmum dicat nomini tuo.

Venite, et videte opera Dei, * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: * ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super Gentes respiciunt: * qui exasperant non exaltentur in semetipsis.

Benedicite, Gentes, Deum nostrum, * et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam, * et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos, Deus: * igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, * imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem, et aquam; * et eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis, * reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, * in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, * offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, * quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamavi, * et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo, * non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus, * qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

Gloria Patri.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

Antiph. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

Psalm. 75.

Notus in Judæa Deus, * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * scutum, gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum, * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua, Deus Jacob, * dormitaverunt, qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De Cœlo auditum fecisti judicium: * terra tremuit, et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus, * ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, * et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro; * omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili et ei qui aufert spiritum principum; * terribili apud Reges terræ. Gloria Patri.

Ant. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

Lectio IV.

De Sermone Sancti Bernardi Abbatis.

Lib. de Pass. Domini. Cap. 41.

CAptus est Jesus post plurimas illusiones tam Judæorum, quam Gentium, post Sanguinis plures effusiones, clavis immitibus manibus simul et pedibus perforatur; et configitur ligno Crucis Salvator noster mitissimus Jesus. Intuere, et respice rosam passionis sanguineæ, quomodo rubet in indicium ardentissimae charitatis. Contendunt passio, et charitas: ista, ut plus ardeat; illa, ut plus rubeat. Tu autem.

℟. Per mortem destruxit Jesus eum, qui mortis habebat imperium: * Ut liberaret eos, qui timore mortis obnoxii erant servituti.

℣. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fiaret — Ut liberaret etc.

Lectio V.

Vide quomodo hoc flore rosae floruerit optima vitis nostra rubicundus Jesus. Vide totum Corpus, sicubi rosae sanguineae florem non invenias? Inspice manum unam, et alteram, si florem rosae non invenias in utraque? Inspice pedem unum, et alterum, numquid non rosei? Inspice lateris aperturam, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrubea sit, propter mixturam aquae, quia, sicut narrat Evangelista, cum unus militum Lancea perforasset, exivit Sanguis, et Aqua. Tu autem.

℟. Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: * Et sicut in Adam omnes peccaverunt, ita in Christo omnes vivificabuntur.

℣. Novissime autem inimica destruetur mors — Et sicut etc.

Lectio VI.

Ex eodem D. Bernardo Sermone de Passione Domini.

Respice, Domine Sancte Pater, de Sanctuario tuo, et de excelso Cœlorum habitaculo, et intuere hanc Sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, Sanctus Puer tuus Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum; et est placabilis super multitudine malitiae nostrae. Cognosce, Pater, tunicam filii tui Joseph. Heu! fera pessima devoravit eum, et conculcavit in furore suo vestimentum ejus. Ecce quinque scissuras lamentabiles in eo reliquit. Tu autem.

℟. Vidimus Jesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum: * Ut pro omnibus gustaret mortem.

℣. Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari — Ut pro omnibus — Gloria Patri — Ut pro omnibus etc.

In III. Nocturno.

Antiph. Quid sunt Plagae istae in medio manuum tuarum?

Psalmus 95.

Cantate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus; * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus: * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii Gentium daemonia: * Dominus autem Cœlos fecit.

Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus, * sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriae Gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.
Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.
Etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur: * judicabit populos in aequitate.
Laetentur Cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus, * gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt.
Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.
Judicabit orbem terrae in aequitate, * et populos in veritate sua. Gloria Patri.
Antiph. Quid sunt Plagae istae in medio manuum tuarum?
Antiph. His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.

Psalm. 96.

Dominus regnavit, exultet terra: * laetentur insulae multae.
Nubes, et caligo in circuitu ejus: * justitia, et judicium correctio sedis ejus.
Ignis ante ipsum praecedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.
Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae: * vidit, et commota est terra.
Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra.
Annuntiaverunt Cœli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.
Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.
Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, et laetata est Sion.
Et exultaverunt filiae Judae, * propter judicia tua, Domine.
Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.
Qui diligitis Dominum odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberavit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetitia.

Laetamini justi in Domino: * et confitemini maemoriae sanctificationis ejus. Gloria Patri.

Antiph. **His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.**

Antiph. **In amaritudine sermo meus est; et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.**

Psalm. 97.

Cantate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suae, * et veritatis suae domui Israel.

Viderunt omnes termini terrae * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, et exultate et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara, et voce psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubae corneae.

Jubilate in cospectu Regis Domini; * moveatur mare, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in aequitate. Gloria Patri.

Antiph. In amaritudine sermo meus est; et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. 19.*

In illo tempore: sciens Jesus, quia omnia jam consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini

Lib. 12. Comment. in Joan.

Cum ab immanibus Judaeis omnis in Christum expleta esset impietas, nec quicquam jam ad summam crudelitatem reliquum esset, ad extremum Caro Christi Sanctissima proprium quiddam ac naturale rursus patitur. Multis enim, ac variis doloribus exsiccata, siti torquetur. Graves siquidem dolores magnam ad sitim commovendam vim habent, naturali quodam, et inexplicabili calore humidum consumentes, et igneis ardoribus praecordia urentes. Consummatum esse, ait impietatis Judaicae modum, et impotentem saeviendi animum. Quid enim Judaei intentatum reliquerunt, aut quid non extraeme crudelitatis adhibuerunt? Quod supplicii, aut contumeliae genus praetermiserunt?

℟. Manifestata est gratia Dei per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi: * Qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam in incorruptionem.

℣. Liberavit, et vocavit nos vocatione sua sancta per gratiam, quae data est nobis in Christo — Qui destruxit etc.

Lectio VIII.

Quamobrem jure, consummatum est, ait: sed hora jam eum ad praedicandum spiritibus, qui apud inferos erant, invitante. Advenit enim, ut mortuorum, ac vivorum dominaretur; ipsam pro nobis mortem suscepit, communem hanc naturae passionem sustinuit in Carne sua. Cum autem Jesum Caput inclinasse comperissent, et jam eum expirasse putarent, frustra ejus crura confringi existimant: sed cum adhuc mortuum esse nonnihil dissiderent, lancea Latus ejus perfodiunt, unde Cruor aqua mixtus scaturiit, quod Eulogiae mysticae, et sancti Baptismatis imago quaedam erat, atque primitiae. Christi enim est vere, et a Christo sanctum Baptisma, et mysticae Eulogiae vis ex sancta nobis Carne prodiit. Tu autem.

℟. Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo * In Sanguine tuo.

℣. Fecisti enim nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes — In Sanguine tuo — Gloria Patri — In Sanguine tuo.

Nona Lect. de Hom. Fer. curr.

Ad Laudes, et per Horas. Antiph.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Ant. Alligavit Dominus plagam populi sui, et percussuram ejus sanavit.

Ant. Omnis, qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus.

Ant. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Capitulum. *Isaiae 53.*

Christus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

℟. Deo gratias.

Hymn. Lustra sex qui jam peregit. *pag.* 74.

℣. Avertantur retrorsum, et erubescant.

℟. Qui cogitant mihi mala.

Ad Benedictus. Antiphona.

Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.

Oratio ut supra pag: 94.

Ad Primam Ant. Vere languores.

In ℟. *brev.* ℣. Qui vulneratus es pro nobis.

Ad Absolutionem Capituli, dicitur Capitulum Nonae.

Ad Tertiam. Ant. Ipse autem etc.

Capitulum. Christus vulneratus etc. *ut supra.*

℟. *brev.* Foderunt manus meas, * et pedes meos — Foderunt.

℣. Dinumeraverunt omnia ossa mea — Et pedes — Gloria Patri — Foderunt etc.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam.

℟. Attendite, et videte dolorem meum.
Ad Sextam. Ant. Alligavit Dominus.

Capitulum. *Isaiae 50.*

Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Vere languores nostros * Ipse tulit — Vere.

℣. Et dolores nostros ipse portavit — Ipse tulit — Gloria Patri — Vere languores.

℣. Disciplina pacis nostrae super eum.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Nonam. Antiph. O vos omnes.

Capitulum. *Isaiae 53.*

Tradidit Christus in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Ipse vulneratus est * propter iniquitates nostras — Ipse.

℣. Attritus est propter scelera nostra — Propter — Gloria — Ipse.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et non aperuit os suum.

In II. Vesperis: Omnia ut in primis.
Ad Magnificat. Antiphona.

Ego sum vestra Redemptio; manus meae, quae vos fecerunt, clavis confixae sunt; propter vos flagellis caesus sum, Spinis coronatus sum, aquam petii pendens, et acetum porrexerunt, in escam meam fel dederunt, et in latus lanceam, mortuus, et sepultus resurrexi; vobiscum sum, et vivo in aeternum. *Oratio ut supra.*

OFFICIUM

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. JESU CHRISTI.

AD VESPERAS.

Ant. Quis est, qui venit de Edom: tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua.

Psalmi ut in Dominica, et loco ultimi, Laudate Dominum omnes gentes etc.

Ant. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Ant. Vestitus erat veste aspersa Sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei.

Ant. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?

Ant. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.

Capitulum. *Hebr. 9.*

FRatres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum; idest non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.

Hymnus.

FEstivis resonent compita vocibus,
Cives laetitiam frontibus explicent,
Tædis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri, et senes.
Quem dura moriens Christus in arbore,
Fudit multiplici vulnere Sanguinem,
Nos facti memores dum colimus, decet
Saltem fundere lacrymas.
Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit:
Adami integritas, et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.

Clamorem validum Summus ab Æthere
Languentis Geniti si Pater audiit,
Placari potius Sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.

Hoc quicumque stolam Sanguine proluit,
Abstergit maculas, et roseum decus,
Quo fiat similis protinus Angelis,
Et Regi placeat, capit.

A recto instabilis tramite postmodum
Se nullus retrahat, meta sed ultima
Tangatur; tribuet nobile præmium,
Qui cursum Deus adjuvat.

Nobis propitius sis Genitor potens,
Ut quos Unigeni Sanguine Filii
Emisti, et placido Flamine recreas,
Cœli ad culmina transferas. Amen.

℣. Redemisti nos, Domine, in Sanguine tuo.
℟. Et fecisti nos Deo nostro Regnum.

Ad Magnificat. Antiphona.

Accessisti ad Sion montem, et Civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et testamenti novi mediatorem Jesum, et Sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, Unigenitum Filium tuum Mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti; concede, quæsumus, salutis nostræ pretium solemni cultu ita venerari, atque a præsentis vitæ malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo lætemur in cœlis. Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti etc.

Ad Matutinum. Invitatorium

Christum Dei Filium, qui suo nos redemit Sanguine, * Venite adoremus.
Psal. Venite exultemus.

Hymnus.

IRa justa Conditoris
Imbre aquarum vindice
Criminosum mersit Orbem,
Noe in Arca sospite;
Mira taudem vis amoris,
Lavit Orbem Sanguine.
Tam salubri terra felix
Irrigata pluvia,
Ante spinis quæ scatebat,
Germinavit flosculos;
Inque nectaris saporem
Transiere absynthia.
Triste protinus venenum
Dirus anguis posuit,
Et cruenta belluarum
Desiit ferocia:
Mitis Agni vulnerati
Hæc fuit victoria.
O scientiae supernae,
Altitudo impervia!
O suavitas benigni
Prædicanda pectoris!
Servus erat morte dignus,
Rex luit pœnam optimus.
Quando culpis provocamus
Ultionem Judicis,
Tunc loquentis protegamur
Sanguinis præsentia,
Ingruentium malorum
Tunc recedant agmina.
Te redemptus laudet Orbis
Grata servans munera,
O salutis sempiterne
Dux, et auctor inclyte,
Qui tenes beata regna
Cum Parente, et Spiritu. Amen.

In I. Nocturno

Ant. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Psalm. 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum* adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum; * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in Cœlis, irridebit eos, * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu; ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, Reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus,* et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo. Gloria Patri etc.

Ant. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Ant. Factus in agonia, prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram.

Psalm. 3.

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum, * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri etc.

Ant. Factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttae Sanguinis decurrentis in terram.

Ant. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos dicens: Peccavi tradens sanguinem justum.

Psalm. 15.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in ejus.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum, * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in praeclaris: * etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno, * nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem. Gloria Patri.

Ant. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos dicens: Peccavi tradens Sanguinem justum.

℣. Redemisti nos, Domine.

℟. In Sanguine tuo.

Lectio I.

De Epistola Beati Pauli Apostoli ad Hebraeos.

Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis. Tu autem.

℟. Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est: * Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

℣. Nondum enim usque ad Sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. Exeamus igitur.

Lectio II.

Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato Legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit dicens: Hic Sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur; et sine sanguinis effusione non fit remissio. Tu autem.

℟. Moyses sumptum sanguinem respersit in populum; * Et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.

℣. Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusionem, ne, qui vastabat primitiva, tangeret eos — Et ait.

Lectio III.

Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, idest Carnem suam, et Sacerdotem magnum, super Domum Dei accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit), et consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum. Tu autem.

℣. Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in Sanguine Christi; * Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

℣. Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem Crucis ejus sive quae in terris, sive quae in Coelis sunt — Ipse enim — Gloria Patri — Ipse.

In II. Nocturno.

Antiph. Pilatus volens populo satisfacere tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Psalm. 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me, * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae * propter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus, * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum; * et calix meus inebrians quam praeclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini * in longitudinem dierum. Gloria Patri.

Antiph. Pilatus volens populo satisfacere tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Antiph. Videns autem, quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum a Sanguine Justi hujus.

Psalm. 29.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine, eduxisti ab inferno animam meam, * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino Sancti ejus, * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus, * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus, * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * non movebor in aeternum.

Domine, in voluntate tua, * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo, * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo, * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam.

Audivit Dominus, et misertus est mei; * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gandium mihi; * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar, * Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi. Gloria Patri.

Antiph. Videns autem quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram Populo dicens: Innocens ego sum a Sanguine justi hujus.

Antiph. Et respondens universus Populus dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

Psalm. 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor; * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas; * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt; * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos, dixerunt: * Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates; * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum; * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo, * et laudabuntur omnes recti corde. Gloria Patri.

Antiph. Et respondens universus populus dixit. Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

℣. Sanguis Jesu Christi filii Dei.

℟. Emundat nos ab omni peccato.

Lectio IV.

Sermo S. Joannis Chrysost.

Vultis Sanguinis Christi audire virtutem? redeamus ad ejus exemplum, et priorem typum recordemur, et pristinam scripturam narremus. In Ægypto nocte media, Ægyptiis Deus plagam decimam minabatur, ut eorum primogenita deperirent, quia primogenitum ejus populum detinebant. Sed ne amata plebs Judaeorum una cum illis periclitaretur, quia unus locus continebat universos, remedium discretionis inventum est. Proinde exemplum mirabile, ut discas in veritate virtutem. Ira divinae indignationis sperabatur, et domos singulas mortifer circuibat. Quid igitur Moyses? Occidite, inquit, agnum anniculum, et sanguine ejus linite januas. Quid ait Moyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit? Valde, inquit, non eo quod sanguis est, sed quia Dominici Sanguinis per eum demonstratur exemplum. Tu autem.

℟. In timore incolatus vestri conversamini * scientes, quod non corruptilibus auro, vel argento redempti estis.

℣. Sed pretioso Sanguine quasi agni immaculati Christi — Scientes.

Lectio V.

Nam sicut Regnantium statuæ, quæ sine causa sunt, et sermone, nonnunquam ad se confugientibus hominibus, anima et ratione decoratis, subvenire consueverunt, non quia sunt ære confectæ, sed quia retinent imaginem Prin-

cipalem; ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit. Non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sanguinis ostendebat adventum. Et tunc Angelus ille vastator, cum linitos postes atque aditus pervideret, transjecit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus non postibus impositum sanguinem Typi, sed fidelium ore lucentem Sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Vis et aliam hujus Sanguinis scrutare virtutem? volo; unde primum cucurrit inspicias, et de quo fonte manavit. De ipsa primum Cruce processit. Latus illud Dominicum initium fuit. Mortuo enim, ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendente, approximat miles, latus lancea percussit, et exinde aqua fluxit, et Sanguis. Unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ideo non ait: Exiit Sanguis, et aqua; sed exiit aqua primum, et Sanguis. Quia primum baptismate diluimur, et postea mysterio dedicamur. Tu autem.

℟. Empti estis pretio magno, * Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

℣. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum — Glorificate.

Lectio VI.

LAtus miles aperuit, et templi sancti parietem patefecit, et ego thesaurum præclarum inveni, et fulgentes divitias me gratulor reperire. Sic et de illo agno factum est. Judæi ovem occiderunt, et ego fructum de Sacramento cognovi. De latere Sanguis, et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica, atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum, et mysteriorum, aquam illam, et Sanguinem demonstrare. Ex his enim Sancta fundata est Ecclesia per lavacri regenerationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptisma, inquam, et mysteria, quæ ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus ædificavit Ecclesiam, sicut de latere Adam ejus conjux Heva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur dicens: De corpore ejus, et de ossibus ejus sumus, Latus videlicet illud significans. Nam,

sicut de illo latere Deus fecit feminam procreari, sic et de suo latere Christus aquam nobis, et sanguinem dedit, unde reparetur Ecclesia. Tu autem.

℟. Commendat charitatem suam Deus in nobis: * Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.

℣. Multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum — Quoniam — Gloria Patri — Quoniam.

In III. Nocturno.

Ant. Exivit ergo Jesus portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce Homo.

Psalm. 73.

UT quid, Deus, repulisti in finem, * iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

Memor esto congregationis tuæ, * quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ: * mons Sion in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem: * quanta malignatus est inimicus in sancto!

Et gloriati sunt, qui oderunt te, * in medio solemnitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa, * et non cognoverunt, sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum; * in securi, et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni Sanctuarium tuum, * interra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: * quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, * et nos non cognoscet amplius.

Usquequo, Deus, improperabit inimicus; * irritat adversarius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam, * de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula * operatus est salutem in medio terræ.

Tu confirmasti in virtute tua mare, * contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis, * dedisti eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes, et torrentes, * tu siccasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox, * tu fabricatus es auroram, et solem.

Tu fecisti omnes terminos terræ, * æstatem, et ver, tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino, * et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, * et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum, * quia repleti sunt, qui obscurati sunt, terræ domibus iniquitatum.

Ne avertatur humilis factus confusus, * pauper, et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge, Deus, judica causam tuam, * memor esto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum; * a superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Gloria Patri.

Antiph. Exivit ergo Jesus portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce Homo.

Antiph. Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, ubi crucifixerunt eum.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meæ, * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori; * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar; * oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia: * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narravit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi, * et mane oratio mea præveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam; * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die, * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, et proximum, * et notos meos a miseria. Gloria Patri.

Antiph. Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum, ubi crucifixerunt eum.

Antiph. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.

Psalm. 93.

Deus ultionum Dominus, * Deus ultionum libere egit.

Exaltare, qui judicas terram, * et redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores, Domine, * usquequo peccatores gloriabuntur?

Effabuntur, et loquentur iniquitatem, * loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

Populum tuum, Domine, humiliaverunt, * et haereditatem tuam vexaverunt.

Viduam, et advenam interfecerunt, * et pupillum occiderunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus, * nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite, insipientes in populo, * et stulti, aliquando sapite.

Qui plantavit aureum, non audiet, * aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, non arguet, * qui docet hominem scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum, * quoniam vanae sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, * et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis, * donec fodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dominus plebem suam, * et haereditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in judicium: * et qui juxta illam, omnes, qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes? * aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adjuvit me, * paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam: Motus est pes meus, * misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, * consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, * qui fingis laborem in praecepto?

Captabunt in animam justi, * et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium, * et Deus meus in adjutorium spei meae.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos; * disperdet illos Dominus Deus noster. Gloria Patri.

Antiph. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis, et Aqua.

℣. Christus dilexit nos.

℟. Et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. 19.*

IN illo tempore, cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est; et inclinato Capite tradidit spiritum. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joan.

VIgilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille Sanguis in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum; hæc et lavacrum præstat, et potum. Hoc prænuntiabat, quod Noe in latere Arcæ ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam, inclinato Capite, in Cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quæ de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviscunt! Quid isto Sanguine mundius? Quid Vulnere isto salubrius? Tu autem.

℣. Hic est, qui venit per Aquam, et Sanguinem, Jesus Christus: * Non in Aqua solum, sed in Aqua, et Sanguine.

℣. In die illa erit fons patens Domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris — Non in aqua etc.

Lectio VIII.

Tenebantur homines captivi sub diabolo, et dæmonibus serviebant, sed redempti sunt a captivitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium; fudit Sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quaeritis, quid emerit? Videte, quid dederit, et invenietis quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes Gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant. Pro toto dedit, quantum dedit. Tu autem.

℟. Praedestinavit nos Deus in adoptionem filiorum per Jesum Christum: * In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus.

℣. Remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nobis — In quo etc. — Gloria Patri etc. — In quo etc.

Nona Lectio Homil. Feriae.

Ad Laudes, et per Horas. Antiph.

Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt?

Psalm. de Domin.

Antiph. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in Sanguine Agni.

Antiph. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die, ac nocte.

Antiph. Et ipsi vicerunt draconem, propter Sanguinem Agni, et propter testamentum verbi sui.

Antiph. Beati, qui lavant stolas suas in Sanguine Agni.

Capit. Fratres, Christus assistens, *ut supra.*

Hymnus.

Salvete Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.
Nitore stellas vincitis,
Rosas odore, et balsama;
Pretio lapillos Indicos;
Mellis favos dulcedine.
Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus,
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium.
Quot Jesus in Praetorio
Flagella nudus excipit!
Quot scissa pellis undique
Stillat Cruoris guttulas!
Frontem venustam, proh dolor!
Corona pungit Spinea,
Clavi retusa cuspide
Pedes, manusque perforant.
Postquam se ille tradidit
Amans volensque spiritum,
Pectus feritur lancea,
Geminusque liquor exilit.
Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur;
Suique Jesus immemor,
Sibi nihil reservat Sanguinis.
Venite quotquot criminum
Funesta labes inficit:
In hoc salutis balneo,
Qui se lavat, mundabitur.
Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit Sanguine,
Sanctoque firmat Spiritu. Amen.

℣. Justificati in Sanguine Christi.
℟. Salvi erimus ab ira per ipsum.

Ad Benedictus. Antiphona.

Erit Sanguis Agni vobis in signum, dicit Dominus, et videbo Sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.

Oratio, ut supra.

Ad Primam in ℟. *brev.* ℣. Qui tuo nos Sanguine redemisti.

Ad Tertiam. Antiphona. Hi sunt.

Capit. Fratres, *ut supra.*

℟. *brev.* Redemisti nos, Domine: * In Sanguine tuo — Redemisti.

℣. Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione — In Sanguine — Gloria Patri — Redemisti etc.

℣. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

℟. Emundat nos ab omni peccato.

Ad Sextam. Antiphona. Ideo sunt.

Capitulum. *Ad Hebr. Cap. 9.*

Si sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

℟. *brev.* Sanguis Jesu Christi filii Dei * Emundat nos — Sanguis etc.

℣. Ab omni peccato — Emundat nos — Gloria Patri — Sanguis etc.

℣. Christus dilexit nos.

℟. Et lavit nos in Sanguine suo.

Ad Nonam. Antiphona. Beati.

Capitulum. *Ad Hebr. Cap. 9.*

Accipiens Moyses sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

℟. *br.* Christus dilexit nos, et lavit nos * In Sanguine suo — Christus etc.

℣. Et fecit nos Regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri — In Sanguine suo — Gloria Patri — Christus etc.

℣. Justificati in Sanguine Christi.

℟. Salvi erimus ab ira per ipsum.

In II. Vesp. Antiph., et Psalm., et Hymnus, ut in primis; sed loco ult. Psalmi dicatur Lauda, Jerusalem, Dominum.

℣. Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni.

℟. Quos pretioso Sauguine redemisti.

Ad Magnificat. Antiphona.

Habebitis autem hunc diem in monumentum, et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno.

OFFICIUM

SACRATISSIMÆ

SINDONIS

Duplex Majus.

Ad Vesperas. Antiphona.

Joseph nobilis Decurio, *cum reliq. ut infra ad Laud.* Dixit Dominus, *cum reliq. de Dominica, et loco ult. Psalm.* Laudate Dominum, omnes Gentes.

Capitulum. *Isaiae 63.*

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Hymnus.

Gloriam sacrae celebremus omnes
Sindonis, laetis recolamus hymnis,
Et piis votis monumenta nostrae
Certa salutis.
Quae refert semper veneranda Sindon,
Sanguinis impressis decorata signis,
Dum Cruce ex alta tulit involutum
Corpus Jesu.
Reddit haec saevos animi dolores,
Quos tulit casum miseratus Adae,
Christus humani generis Redemptor,
Morte perempta.
Saucium ferro latus, atque palmas,
Et Pedes clavis lacerata flagris.
Membra, et infixam capiti coronam
Monstrat imago.

Quis pius siccis oculis, et absque
Intimi cordis gemitu notata,
Vivaque indignae simulacra mortis
Cernere possit.
Nostra cum solum tibi, Christe, culpa
Caussa tantorum fuerit malorum,
Nostra debetur tibi vita: Vitam
Tradimus ipsam.
Sit tibi, Fili, decus, atque virtus,
Qui tuo Mundum redimis cruore,
Quique cum summo Genitore, et almo
Flamine regnas. Amen.

℣. Tuam Sindonem veneramur, Domine.
℟. Tuam recolimus passionem.

Ad Magnificat. Antiphona.

Joseph vir bonus, et justus accessit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesus, quo accepto, involvit illud in Sindone munda.

Oremus.

Deus, qui nobis in Sancta Sindone, qua Corpus tuum Sacratissimum e Cruce depositum a Joseph involutum fuit, Passionis tuae vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem, et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis, et regnas etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Christum Dominum, qui Passionis suae memoriam in Sacra Sindone renovat, * Venite adoremus.

Hymnus.

Mysterium mirabile
Luce nobis panditur,
Verus Dei cum Filius
Mortem cruentam sustinet.
Caussam tuendo servuli,
Reique formam vestiens,

Pro servo Herus suspenditur,
Pro sonte Justus plectitur.
Necis manent insignia
Impressa Sacra in Sindone.
Quae post triumphum nobilem
Corpus cruentum involverat.
Sunt Mortis haec, et Tartari,
Mundique victi insignia,
Trophaea sunt haec inclyta
Ductoris invictissimi.
Debemus ergo hanc gratiam
Nostrae salutis vindici,
Ut daemonis contra dolos
Hac militemus tessera.
Vitae vetustae mortui
Surgamus in vitam novam
Christum secuti per Crucem
Christi fruemur gloria.
Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

Psalm. 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum; * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino: * multi dicunt, quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: * dedisti laetitiam in corde meo.
A fructu frumenti, vini, et olei sui: * multiplicati sunt.
In pace in idipsum * dormiam, et requiescam.
Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me. Gloria Patri.
Antiph. Rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.
Antiph. Aspersus est Sanguis super vestimenta mea, omnia indumenta mea inquinavi.

Psalm. 15.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.
Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.
Multiplicatae sunt infirmitates eorum, * postea acceleraverunt.
Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, * nec memor ero nominum eorum per labia mea.
Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.
Funes ceciderunt mihi in praeclaris: * etenim haereditas mea praeclara est mihi.
Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.
Providebam Dominum in conspectu meo semper, * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.
Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe.
Quoniam non derelinques animam meam in inferno, * nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.
Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem. Gloria Patri.
Ant. Aspersus est Sanguis super vestimenta mea, omnia indumenta mea inquinavi.
Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Psalm. 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

Gloria Patri.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

℣. Tuam Sindonem veneramur, Domine.

℟. Tuam recolimus Passionem. Pater noster.

Absol. Exaudi, Domine.

Jube, Domne, benedicere.

Bened. Benedictione perpetua.

Lectio I.

De Isaia Propheta. *Cap. 53.*

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est; et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℣. Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem. Aspectus ejus in eo non est. Hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: * Cujus livore sanati sumus.

℟. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: * Cujus etc.

Bened. Unigenitus.

Lectio II.

OMnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur; et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum: de angustiis, et de judicio sublatus est; generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium; propter scelus populi mei percussi eum; et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℟. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? * Et dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℣. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi — Et dicet, his etc.

Bened. Spiritus Sancti gratia.

Lectio III.

ET Dominus voluit conterere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℣. Tuam Sindonem veneramur, Domine, tuam gloriosam recolimus Passionem: * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

℟. Salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam — Miserere etc.

Gloria Patri etc. — Miserere etc.

In II. Nocturnò.

Antiph. Quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum.

Psalm. 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus, * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portae aeternales, * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portæ æternales, * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. Gloria Patri etc.

Antiph. Quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum.

Antiph. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Psalm. 26.

Dominus illuminatio mea, et salus mea: * quem timebo? Dominus protector vitae meae * a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei * ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, * non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me praelium, * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

Ut videam voluptatem Domini, * et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suó: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me; * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabó, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me, * ne declinas in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto; ne derelinquas me, * neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua, * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age, * et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Gloria Patri, etc.

Antiph. **Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.**

Antiph. Tradidit in mortem animam suam, et ipse peccata multorum tulit.

Psalm. 29.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine, eduxisti ab inferno animam meam, * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino Sancti ejus, * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus, * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus, * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * non movebor in aeternum.

Domine, in voluntate tua, * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo, * et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in Sanguine meo, dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei; * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi; * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar, * Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

Gloria Patri.

Antiph. Tradidit in mortem animam suam, et ipse peccata multorum tulit.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per crucem tuam redemisti Mundum.

Pater noster.

Absol. Ipsius pietas.

Jube Domine etc.

Bened. Deus Pater.

Lectio IV.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

In Luc. Lib. 10.

Quid sibi vult, quod non Apostoli, sed Joseph, et Nicodemus, ut Joannes dicit, Christum sepeliunt? Unus Justus, et constans, alter, qui erat Magister in Israel. Talis enim Christi est sepultura, quæ justitiam, magisteriumque habeat, Obstruitur igitur tergiversandi locus, et domestico Judæi testimonio revincuntur. Nam si Apostoli sepelissent, dicerent utique non sepultum, quem sepultum raptum esse dixerunt. Justus autem Christi Corpus operit Sindone, innocens ungit unguento. Namque hæc non otiose distincta reperimus; quia justitia vestit Ecclesiam, innocentia gratiam subministrat. Tu autem, Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℟. O admirabilis Sindon, in qua involutus est Thesaurus noster * Redemptio captivorum.

℣. Gaudet totus Mundus, qui redemptus est Sanguine Domini sui — Redemptio etc.

Jube Domne.

Bened. Christus perpetuæ etc.

Lectio V.

Vesti ergo et tu Domini Corpus gloria sua, ut et ipse sis justus. Et si mortuum credis, operi tamen Divinitatis propriae plenitudine, unge illud myrrha, et aloe; ut bonus odor Christi sis. Bonum linteum misit Joseph ille vir justus; et forta-se illud, quod Petrus vidit a Cœlo ad se esse demissum, in quo erant genera quadrupedum, et ferarum, et volucrum ad figuram Gentium figurata. Mystico igitur unguento illo pystico consepelitur Ecclesia, quae diversitatem populorum fidei suae communione sociavit. Tu autem, Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias,

℟. Tulerunt tunicam Joseph fratres ejus, et in sanguine haedi, quem occiderunt, tinxerunt: * mittentes, qui fer-

ret ad Patrem, et diceret: * Hanc invenimus, vide num tunica filii tui sit, an non?

℣. Quam cum agnovisset Pater, ait, tunica filii mei est, fera pessima devoravit eum.

Hanc invenimus, etc.

Jube Domne.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio VI.

Hunc Joseph justum Lucas dixit, Matthaeus divitem. Et merito dives hoc loco dicitur, ubi Corpus suscepit Christi; suscipiendo enim divitem, nescivit fidei paupertatem. Dives est ergo, qui justus est? Justus igitur Sindone involuit, Israelita vero, et diversos miscet virtutum odores, et aloes mittit quasi libras centum, hoc est perfectae fidei quantitatem. Et ligaverunt Corpus Jesus juxta consuetudinem specialem Judaeorum, non utique nodis perfidiae, sed fidei ligaturis, et posuerunt in horto, cui frequenter Ecclesia comparatur, quae diversorum habet poma meritorum, floresque virtutum. Tu autem, Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℣. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: * Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

℟. Qui cum malediceretur, non maledicebat; * cum pateretur, non comminabatur: * Qui peccatum — Gloria etc. — Qui etc.

In III. Nocturno.

Ant. Caro mea requiescet in spe, quia non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Psalm. 53.

Deus in nomine tuo salvum me fac; * et in virtute tua judica me.

Deus, exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me ; * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis , * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi , * et confitebor nomini tuo , Domine , quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri etc.

Antiph. Caro mea requiescet in spe , quia non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi , conscidisti saccum meum , et circumdedisti me laetitia.

Psalm. 75.

Notus in Judaea Deus , * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus , * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum , * scutum , gladium , et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis : * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum , * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua , Deus Jacob , * dormitaverunt , qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es , et quis resistet tibi ? * et tunc ira tua.

De Coelo auditum fecisti judicium : * terra tremuit , et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus , * ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi , * et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete , et reddite Domino Deo vestro : * omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili , et ei qui aufert spiritum Principum , * terribili apud Reges terrae. Gloria Patri etc.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi , conscidisti saccum meum , et circumdedisti me laetitia.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meae, * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar; * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia: * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi, * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam; * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt sicut aqua tota die, * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, et proximum, * et notos meos a miseria. Gloria Patri.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Pater noster.

Absol. A vinculis peccatorum.

Jube Domne benedicere.

Bened. Evangelica lectio.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore, cum jam sero factum esset, quia erat Parasceve, quod est ante Sabbatum, venit Joseph ab Arimathaea nobilis Decurio, qui et ipse erat expectans Regnum Dei. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

Parasceve graece, latine praeparatio dicitur, quo nomine Judaei, qui inter Graecos morabantur, sextam Sabbati appellabant, eo quod in illa, ea, quae requiei Sabbati necessaria essent, praeparare solerent. Juxta hoc, quod de manna quondam praeceptum est: Sexta autem die colligetis duplum. Quia ergo sexta die factus est homo, et tota est mundi creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit, unde et hanc Sabbatum, hoc est requiem voluit appellari; recte Salvator eadem sexta die crucifixus humanae restaurationis implevit arcanum; ideoque cum accepisset acetum dixit: Consummatum est, hoc est sextae diei, quod pro mundi refectione suscepi, jam totum est opus expletum. Sabbato autem in sepulcro requiescens resurrectionis, quae octava die ventura erat, expectabat eventum. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Mercatus est Joseph Sindonem mundam, ut involveret in ea Corpus Domini: * Venit ergo, et tulit Corpus ejus.

℣. Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathaea, ut tolleret Corpus Jesu — Venit ergo etc.

Jube Domne etc.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Venit, inquit, Joseph ab Arimathaea nobilis Decurio, qui et ipse erat expectans Regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesu. Magnae quidem Joseph iste dignitatis ad saeculum, sed majoris apud Deum meriti fuisse laudatur. Talem namque existere decebat eum, qui Corpus Domini sepeliret, qui et per justitiam meritorum tali ministerio dignus esset, et per nobilitatem potentiae saecularis facultatem posset obtinere ministrandi; non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad Praesidem accedere, et Crucifixi Corpus poterat impetrare. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Haec est Sindon dignissima, in qua salutis Auctor de Cruce depositus involvi dignatus est; * Ut nos consepulti cum eo, veteris hominis exuviis depositis, innocentiae Sindone tegeremur.

℣. Felix Domus Sabaudiae, quae tanto pignore ditata, sacro hoc munere gloriatur — Ut etc.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto — Ut etc.

Jube Domne etc.

Bened. Ad societatem civium.

Lectio IX.

Joseph autem mercatus est Sindonem, et deponens eum involvit Sindone. Possumus juxta intelligentiam spiritualem hoc sentire; Corpus Domini non auro, non gemmis, et serico, sed linteamine puro obvolvendum sit; quamquam et hoc significet, quod ille in Sindone munda involvat Jesum, qui pura cum mente susceperit. Hinc Ecclesiae mos obtinuit, ut sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur. Tu autem etc.

Hymnus. Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Joseph nobilis Decurio vir bonus, et justus, et ipse dives erat expectans Regnum Dei.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dom.*

Antiph. Hic audacter introivit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesus.

Antiph. Cum cognovisset Pilatus a Centurione, quod jam mortuus esset, donavit Corpus Jesu.

Antiph. Joseph autem mercatus Sindonem, et deponens eum involvit Sindone.

Antiph. Posuit eum in mouumento, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Capitulum. *Isaiae 63.*

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

Jesu dulcis amor meus,
Ac si praesens sis, accedo.
Te complector cum affectu,
Tuorum memor Vulnerum.
O quam nudum hic te cerno,
Vulneratum, et distentum,
Inquinatum; involutum
In hoc sacro tegmine.
Salve Caput cruentum
Spinis, cujus dulcis vultus
Immutavit suum florem,
Quem Coeli tremit Curia.
Salve Latus Salvatoris,
Salve mitis apertura,
Super rosam rubicunda,
Medela salutifera.
Manus sanctae vos avete,
Diris Clavis perforatae;
Ne repellas me, Salvator
De tuis sanctis Pedibus. Amen.

℣. Dominus regnavit, decorem induit.
℟. Induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute.

Ad Benedictus. Antiphona.

Joseph nobilis Decurio, expectans et ipse Regnum Dei, mercatus est Sindonem, et deponens Corpus Jesu involvit illud in Sindone.

Oratio.

Deus; qui nobis in Sancta Sindone, etc. *ut supr. pag. 130.*

Ad Tertiam. Capitulum. Isaiae 63.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra; Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

℟. Deo gratias.

℟. *brev.* Tuam Sindonem * Veneramur, Domine — Tuam Sindonem —

Tuam recolimus Passionem — Veneramur etc.

℣. Gloria Patri —

℟. Tuam Sindonem —

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per mortem tuam redemisti mundum.

Ad Sextam. Capitulum.

Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Torcular calcavi solus, et de Gentibus non est vir mecum.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Adoramus te, Christe, * Et benedicimus tibi — Adoramus —

℣. Quia per mortem tuam redemisti Mundum.

Et benedicimus — Gloria — Adoramus —

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat Nomini tuo Domine.

Ad Nonam. Capitulum.

Circumspexi, et non erat auxiliator; quæsivi; et non fuit, qui adjuvaret; et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.

℟. Deo gratias.

℟. *brev.* Omnis terra adoret te, et psallat tibi, * Omnis etc.

℣. Psalmum dicat Nomini tuo, Domine.
℟. Et psallat — Gloria — Omnis terra etc.
℣. Dominus regnavit decorem induit.
℟. Induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute.

Ad Vesperas.

Ant. Joseph nobilis, *cum reliquis de Laudibus.*
Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica: et loco ultimi Psalm.*

Psalmus 141.

Voce mea ad Dominum clamavi, * voce mea ad Dominum deprecatus sum.
Effundo in conspectu ejus orationem meam, * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.
In deficiendo ex me spiritum meum; * et tu cognovisti semitas meas.
In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.
Considerabam ad dexteram, et videbam; * et non erat, qui cognosceret me.
Periit fuga a me, * et non est, qui requirat animam meam.
Clamavi ad te, Domine, * dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viventium.
Intende ad deprecationem meam, * quia humiliatus sum nimis.
Libera me a persequentibus me, * quia confortati sunt super me.
Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribas mihi.
Gloria Patri, etc.
Ant. Posuit eum in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat.
Capit. Quis est iste etc. *pag. 129.*

Hymnus.

Gloriam sacræ etc. *pag. 134. ut supra in 1. Vesp.*

Ad Magnificat. Antiphona.

Homo quidam dives ab Arimathæa nomine Joseph, accepto Corpore Jesu, involvit illud in Sindone munda.

Oratio.

Deus, qui nobis in Sancta Sindone etc. *ut supr. pag. 130.*

OFFICIUM
S. AGATII
CENTURIONIS MARTYRIS.
Die VII. Maji.

Ad Vesperas, *Antiphona.* Mirarentur Adolescentis animum, *cum reliquis de laudibus. Psal.* Dixit Dominus, cum reliquis *de Dominica*, *et loco ultimi*, *Psalmus.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *1. Reg. 16. 18.*

Ecce vidi filium . . . fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulchrum: et Dominus est cum eo.

Hymnus.

Redit jam clara maximis
Colenda lux honoribus,
Fortem, piumque Agathium
Novo canamus cantico:
Qui, Deo favente, miles
Sua non fultus pharetra,
Vero purpureo sanguine,
Pro fide movet proelium.
Pectus sibi tunc macerat,
Fremitque Judex barbarus,
Minaces inter impetus
At ille Christum praedicat.
Jam corpus omne fortiter
Cruenta flagra quatiunt,
Plus saeva manus ingruit,
Oh meror! crescunt vulnera.
Ceu silex inter aequora
Feris resistit fluctibus;
Sic ille non ab hostium
Nec vi, nec arte flectitur;

Namque superni Numinis,
Quem sacra fovet gratia,
Non fera terrent verbera,
Flagellorumque millia.
Sit Patri, atque Paraclito,
Sit tibi, Christe, gloria,
Qui facis hostes conteri
Non ense, non et agmine. Amen.

1. Reg. 11. ℣. Cras erit vobis salus.
℟. Quia dedit Dominus Protectorem.

Ad Magnificat Ant.

1. Reg. c. 9. Cras mittam Virum ad te . . ., et unges eum super Populum meum, et salvabit Populum meum.

Oratio.

Deus, qui Beatum Agathium Centurionem Martyrem tuum Protectorem nostrum, tormentorum acerbitate, Constantiae virtute mirabiliter roborasti, et hostes quoque fidei superare dedisti: praesta quaesumus, ut nos, quem annua celebritate colimus, ejus triumphi participes, ac protectione muniti, ad aeterna gaudia pervenire mereamur. Per Dominum etc.

Ad Matutinum Invitatorium.

Dei Bonitatem, qui Scylacion tanto decoravit Protectore * Venite cum gaudio celebremus.
Psalmus. Venite, exultemus.

Hymnus.

Cur vos innocuum, cur in Agathium
Tortores ruitis? ardorem sistite.
Judex barbare, non ipse valentior
Jam tormenta ferat tua?
Lex ut rigidis tonsa bipennibus
Fit ex horrificis ictibus fortior;
Sic et magnanimus surgit Agathius
Ipso ex verbere firmior.

En dia e liquido labitur aetere
Vox, terrorque adit corda per omnia:
Addit vox animos, et socios bonam.
Constrictos vocat ad frugem.
Rursus verberibus terga ferocibus
Lictor dilacerat, sanguis et effluit,
Dentes praecipitant humi.
Ast inter scuticas, inter et horridas
Multorum fremitus institit acrior,
Christumque eximiis laudibus efferat
Ira non sine Judicis.
Quid, Judex, rabies, quid furor improbus,
Lymphataque juvat mente superbia?
Contra terrificam Numinis aegida
Nil possunt hominum manus!
Heu tandem gladio tu caput abscidis
Quid tantum sceleris, barbare, profuit?
Quid, cum gloria si vivet Agathius,
Cuncta in soecla beatior?
Quot nobis moveant, aspice, proelia.
O et fine carens, et *Sacra Trinitas!*
Tres hostes miseros nos urgent undique,
Tu robur quoque da triplex. Amen.

In primo Nocturno Antiphona.

Jud. 11. Fuit illo tempore . . . vir fortissimus, atque pugnator. *Psalmus.* Beatus Vir *cum reliquis Psalmis, ut in communi unius Mart.*

Ps. 17. *Antiphona.* Et praecinxisti me virtute ad bellum. *Psalmus.* Quare fremuerunt gentes.

Ps. 58. *Antiphona.* Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es.

Psalmus. Domine quid multiplicati sunt.

Ps. 100. ℣. Perambulabam in innocentia cordis mei.

℟. In medio domus mae.

De Libro Ecclesiastici.

Lectio I. Cap. 46.

Fortis in bello Jesus Nave, Successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, Maximus in salutem electorum Dei expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur haereditatem Israel. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et jactando contra Civitates rompheas? Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus produxit. An non iracundia ejus impeditus est Sol, et una dies facta est quasi duo? Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, et audivit illum magnus, et Sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, et in descensu perdidit contrarios. Ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile.

℟. Ecce magnus effectus sum, et praecessi omnes in Sapientia * Et mens mea contemplata est multa Sapienter.

Eccl. 51. ℣. Ambulavit pes meus iter rectum a juventute mea. Et mens mea.

De Libro Sapientiae.

Lectio II. Cap. 2. 12.

Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata Legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae. Promittit se Scientiam Dei habere . . . Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viae ejus. Tamquam nugaces estimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et praefert novissima justorum . . . Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus, quae ventura sunt illi, et sciemus quae erunt novissima illius . . . Contumelia, et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam ipsius. Morte turpissimima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius.

Ps. 25. ℟. Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo * Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.

℣. Et in militia militibus versantem moribus corruptis, gratia Dei integrum me servari. Odivi.

De Epistola prima Beati Joannis Apostoli.

Lectio III. Cap. 5.

Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit et eum, qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus. Haec est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt. Quoniam omne, quod natum est ex Deo vincit Mundum, et haec est victoria, quae vincit Mundum: fides nostra.

℟. Quid tibi retribuam, dulcissime Jesu? * qui ab adolescentia mea altas fidei tuae radices egisti in mente.

℣. Sanctarum Scripturarum meditatione corde meo exardescebat tui amoris igni. Qui. Gloria Patri. Qui.

In secundo Nocturno, Antiphona.

1. Reg. 13. Quaesivit sibi Dominus virum juxta cor suum: praecepit ut esset Dux super Populum suum.

Psalmus: Cum invocarem, *cum reliquis Psalmis de communi unius Mart.*

Jud. 6. *Antiphona.* Apparuit ei Angelus, et ait: Dominus tecum Virorum fortissime.

Psalmus. Verba mea auribus percipe Domine.

Act. 8. *Antiphona.* Hic est Virtus Dei, quae vocatur magna. *Psalmus.* Domine Dominus noster.

Ps. 100. ℣. Non proponebam ante oculos meos rem injustam.

℟. Facientes praevaricationes odivi.

Lectio IV.

Agathius Cappadox Centurio Cohortis Martiae, cum in persecutione Diocletiani, et Maximiani Milites in Thracia ad sacrificandum compellerentur, accersitus a Firmo Tribuno ab eo suadebatur, Christo (ut plerique Milites fecerant) renuntiare: qui audacter id facinus se commissurum negavit. Quare vinctus Bibiano Praefecto traditus est in Urbe Perintho, a quo de Religione interrogatus, Christianum se esse, et idola execrari clara voce respondit. Cui cum Bibianus diceret: Ni Imperatorum Legibus obtemperes, variis te affligam tormentorum generibus, eum impietatis redarguens Agathius, multa, et docte praesente multitudine de Christiana Religione peroravit; cujus etsi dicendi vim admiraretur Judex, ira tamen accensus illico eum quatuor vectibus ligari, et crudis nervis caedi a sex Militibus vicissim sibi succedentibus, fecit, totumque corpus dilaniari. Sed tormentis fortior evaderet, maxillis contusis in secretum carcerem, vinctus truditur, eique, ut inedia interiret, omnis denegatur accessus.

℟. Propter Jesu Christi Fidem catenis vinctus, eique ut rentiarem amore illectus, timoreque territus, * impias imperatorum Leges pro nihilo duxi.

℣. Judicis ira flagellatus, minis ejus minime cessi. Impias imperatorum.

Lectio V.

Cum vero Flacciani Proconsulis jussu vincti omnes Byzantium mitterentur, in itinere rogante Sancto Agathio, vox e nube audita est: Agathi fortis esto: Ad quam vocem multi ex vinctis ad pedes ejus se projicientes baptismum petierunt, qui ex saepius una cum carceris Custode noctu Angelos viderunt uti Viros splendidos cum eo loquentes, atque ejus vulnera abstergentes. Septimo itaque die postquam Byzantium venerat Praesidi sistitur: quem cum aspectu hilarem, et pinguiori facie vidisset in Cassium Carceris custodem (quod pecunia corruptum Agathio alimenta praebuisse existimaret) ire excandescens Praeses verberibus eum multavit; deinde in Martyrem magis effervens, dentes ei omnes

confringi fecit: sed illum nihilominus Christum praedicantem, et idola exprobrantem, ac minas Judicis despicientem, quernis virgis caedi jubet. Quibus in verberibus clamante illo: Domine Jesu Christe adjuva me; vox audita est: Ne timeas Agathi; oportet Te mentem in Coelo versantem, corpore etiam in terris constantem mei Nominis Confessorem esse. Qua ex voce perterriti Carnifices admovere in eum manus amplius non poterant. Eo miraculo Judex ipse permotus, cum quid faceret ambigeret, tandem Agathium ad Flaccianum Proconsulem remittere statuit, litteris ad eum de his, quae circa Agathium acciderant, missis.

℟. Ob Fidei veritatem mihi plumbeis massis contusae sunt maxillae, simulque omnes confracti dentes; ac in secretum carcerem trusus, mediaque affectus, * tamquam lapis in medio spumantium fluctuum immobilis steti.

℣. Sic de omnibus inimicis meis triumphavi. Tamquam.

Lectio VI.

Haec cum accepisset Proconsul, Martyrem in carcere, non tamen arcte recludi praecepit, quippe quod ipsius uxor jurejurando eum adstrinxerat, ne nimium in Christianos saeviret: et quinto post die Agathio ad se perducto ejus acta ad se recitari fecit. Cumque Martyris constantiam, et tormentorum ejus acerbitatem cognovisset, Bibianum, nimiae crudelitatis accusans, Lata Sententia, Agathium absque aliis cruciatibus, capitis damnavit. Ad quam sententiam exhilaratus Martyr, extensis in Coelum manibus: Quibus te linguis, inquit, Christe Dux vitae, laudare queam? quasve tibi laudes referre? qui me tali sorte dignatus es. Et cum extra Urbem ad locum Martyrii ductus paulisper orandi spatio impetrato, in haec verba orationem egisset: Benedico Te, Deus Pater Sancte, cum Unigenito Filio tuo, et Sancto vivifico Spiritu, cui gloria, et honor in Soeculorum Soecula, Amen; percussus gladio est octavo Idus Maji, ejus Sanctum Corpus Christiani in Loco, qui Staurion dicitur sepelierunt. Quod multo post tempore, cum ab infidelibus ea loca invadentibus, plumbea inclusum theca in mare proiectum esset, ad Scyllaceum Littus divinitus appulsum, et ab incolis collectum, in Cathedrali ipsorum Ecclesia conditum fuit; ubi a totius Calabriae Populis magno

in honore habetur, et Sancti Martyris dies Festus nonis Maji solemniter celebratur.

℟. Tandem omnibus tormentorum generibus affectus, tamquam mansuetus Agnus ad Martyrii Locum Lætus ducor. * Et pro Christi fide crudelis Carnifex caput meum abscidit.

℣. Spreta temporali Vita, coronam immarcescibilem mihi in cœlis in æternum comparavi. Et pro. Gloria Patri.

Et pro.

In tertio Nocturno. Antiphona.

Ps. 17. Misit de summo, et accepit me, et assumpsit me.

Psalmus. In Domino confido. *Cum reliquis Psalmis de Communi unius Mart.*

Exod. 15. *Antiphona.* Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine; Dextera tua, Domine, percussit inimicum. *Ps.* Domine quis habitabit.

Ps. Antiphona. Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini exultavit me: non moriar, sed vivam.

Psalmus. Domine in virtute tua.

℣. Erit Vobis haec dies memorialis. *Exod.*

℟. Et diem festum celebrabitis solemnem in progenies vestras.

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

Lect. VII. Cap. 7.

In illo tempore. Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Comment. Lib. V. Lucae Cap. 7. *De Servo Centurionis Curato.*

Namque statim gentilis Centurionis Servus Domino curandus offertur, in quo populus nationum, qui mundanae servitutis vinculis tenebatur, aeger Letalibus passionibus, beneficio Domini sanandus exprimitur. Quod autem moriturum dixit Evangelista, non fefellit. Moriturus enim erat, nis

fuisset sanatus a Christo. Implevit igitur praeceptum charitate coelesti, qui sic dilexit inimicos, ut morti eriperet, atque ad perpetuae spem salutis adsciseeret. Quantum autem divinae humilitatis insigne, ut coeli Dominus nequaquam dedignaretur Centurionis servulum visitare? Elucet fides in operibus, sed plus operatur humanitas in affectibus, quod utique non ideo faciebat, quia absens curare non poterat, sed ut formam tibi daret humilitatis imitandae, qua juxta humilioribus doceret, ac Superioribus deferendum.

℟. Multo post tempore theca ab infidelibus inclusus plumbea, marisque in profundum mersus, ac super aquam natans, tuo littere, Scylacion, appuli. Et ipse Altissimus me in tuum protectorem constituit; ideoque Speciali te patrocinio protegam. ℣. Sic ab omnibus inimicis tuis potenti virtute defendam. Ideoque.

Lectio VIII.

Denique alibi Regulo dicit: Vade, filius tuus vivit, ut scias et potentiam Divinitatis, et humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere, ne in Reguli filio videretur magis divitiis detulisse: hic ipse perrexit, ne videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse servilem. Omnis enim servus, et liber in Christo unum sumus. Sed vide fidem praerogativam esse medicinae. Adverte etiam in ipso populo gentili perspicaciam esse mysterii. Dominus pergit, excusat Centurio, militarique deposito tumore, reverentiam sumit, et ad fidem facilis, et honorificentiam promptus. Et bene Lucas etiam in occursum amicos dicit esse a Centurione trasmissos, ne praesentia sua gravare Domini verecundiam videretur, et officium officio provocasse. Haec moraliter.

℟. Surge Laetare, Scylacion, Laetare, quoniam dignum meruisti fieri, ut tantum sanctuario tuo pignus possideres! te ergo indue vestimentis gloriae tuae, ac Loetitiae, * summas gratias agendo Deo, quia ditatum tanto fuisti munere. ℣. Totis incumbe viribus, ut quod Lingua, ac celebritate promis, moribus, et vita teneas. Summas. Gloria Patri. Summas.

Lectio VIII.

Mystice autem, quem Judeorum Populus crucifixit, inviolatum ab injuria manere desiderat populus nationum, et quod ad fidem pertinet, sermoni credidit: hoc est, non hominis, sed Dei potestate conjiciens dari a Christo hominibus sanitatem. Quod vero ad Mysterium spectat, vidit in pectore adhuc gentilium non esse penetrabilem Christum. Et ideo qui necdum cogitationis praeteritae maculas abluisset, gravari se magis Domini putavit dignatione, quam juvari. Illa Vidua Sareptena indignam se prophetico judicavit hospitio. Ideoque Dominus in uno isto fidem gentium praefert. Et quidem, si sic legas: In nullo tantam fidem inveni in Israel: simplex intellectus, et facilis est. Sin vero juxta Graecos: Nec in Israel tantam fidem inveni: fides hujus etiam electoribus, et Deum videntibus antefertur. Videte autem oeconomiam Domini, probatur fides Domini, et servi sanitas roboratur. Potest ergo meritum Domini etiam famulis suffragari: non solum fidei merito, sed etiam studio disciplinae. Spectate etiam alteram oeconomiam Dominicae humilitatis, quae non spondet, operatur, nam etsi nondum imperaverat Sanitatem, tamen servi, qui missi fuerant, sanum Servum repererunt. Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per horas, Antiphona.

Mirarentur adolescentis animum, quod tamquam nihilum duceret cruciatus. *II. Macc. c. 7.*

Psalmus. Dominus regnavit *cum reliquis cum Dominica.*

Antiphona. Dominus solus dux ejus fuit: et non erat cum eo Deus alienus. *Deut. c. 32.*

Antiphona. Qui persequentur me infirmierunt; Dominus mecum est tamquam bellator fortis. *Jerem. c. 20.*

Antiphona. Et potentia nemo vicit illum; nec superavit illum verbum aliquod. *Eccl. c. 48.*

Antiphona. Et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum Sanctum tuum. *Exod. c. 15.*

Capitulum. I. Reg. 16. 18

Ecce vidi filium . . . fortissimum robore, et Virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulchrum: et Dominus est cum eo.

Hymnus.

Nunc caput verno relimite flore
Atque certatim juvenes, senesque
Martyris lœtas super astra cœli
Ferte triumphos.
Dicite ut diros superavit hostes,
Ut per igentes hominum ruinas,
Non egens armis tulit unus audax
Grande tropheum.
O qui in excelso resides olympo,
Dive, et æternas agitas choreas,
Has tibi addictas, tibi dedicatas
Respice gentes.
Tu preces audi facilis tuorum,
Et Scylacena procul hac ab Urbe
Pelle tu pestem, lacrymas, dolores,
Virus, et omne.
Hoste tu victo super astra Lœtus
Nunc triumphali frueris Corona,
Fac ut evicto quoque nos averno
Astra petamus.
Tunc caput divo, viridique semper
Flore devincti juvenes, senesque
Sacra cum sacris choreis, et laetis.
Carmina dicent.
Sit tibi, o Princeps, hominumque Rector,
Sit tibi humani generis Redemptor,
Cum Paracleto decus, atque cultus
Omne per aevum. Amen.
℣. Sub umbra alarum tuarum.
℟. Protege me.

Ad Benedictus, Antiphona.

Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel: ut sciant quod sicut cum Moyse fui, ita et tecum Sion. *Jos. 3. 7.*

ORATIO.

Deus, qui Beatum Agathium Centurionem Martyrem tum Protectorem nostrum, tormentorum acerbitate, Constantie virtute mirabiliter roborasti, et hostes quoque fidei superare dedisti: praesta quaesumus, ut nos, quem annua celebritate colimus, ejus trimphi participes, ac protectione muniti, ad aeterna gaudia pervenire mereamur. Per Dominum.

Ad Tertiam, Antiphona.

Dominus solus.

Capitulum. Ecce vidi filium . . .

℟. *brev.* Vidisti enim magnifica, * quae in vobis gesserit. Vidisti enim magnifica. *I. Reg. c. 12. 24.*

℣. Domine Deus meus memento mei. Quae in Vobis gesserit. Gloria Patri. Vidisti enim magnifica. *Jud. 16. 28.*

℟. Indutus est Justitia ut Lorica.

℣. Et galea Salutis in capite. *Isai. LIX. 17.*

Ad Sextam, Antiphona.

Qui persequentur me.

Capitulum. Jud. 16. 28.

Quod est tibi nomen, ut si sermo tuus fuerit expletus honoremus te, cui ille respondit: cur quaeris nomen meum, quod est mirabile?

℟. *brev.* Ego sum, qui veni * de praelio . . . hodie. Ego sum. *I. Reg. 4. 16.*

℣. Pretiosa fuerat anima mea in oculis tuis. De praelio . . . Gloria Patri. Ego sum. *I. Reg. 26. 21.*

℣. Animadvertere, et vide quoniam non est in anima mea malum. *I. Reg. 24. 12.*

℟. Neque iniquitas.

Ad Nonam, Antiphona.

Et portasti eum.

Capitulum. I. Reg. 26. 28.

Faciens enim faciet Dominus tibi . . . quia praelio Domini, Domine mi, tu praeliaris: malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus Vitae tuae.

℟. *brev.* In manu * Servi mei. In manu. *II. Reg. 3. 18.*

℣. Servabo Populum meum de manu omnium inimicorum ejus. Servi mei. Gloria Patri. In manu.

℣. Portentum dedi te.

℟. Domui Israel.

Ad Vesperas, Antiphona.

Mirarentur adolescentis animum *cum reliquis* de Laudibus. *Psalmus.* Dixit Dominus *cum reliquis de Dominica*, et Loco ultimi, *Psal.* Credidi. Capitulum. Ecce vidi filium . . .

Hymnus.

Jam Sol occidit aureus,
Nobis coruscus adveni,
Tuasque, Martyr inclyte,
Laudes benignus accipe.
En tua gens, te sospite,
Sospes ad aras advolat,
Et tua colit cernuo
Ossa verenda poplite:
Ossa, quae Christi ab hostibus
Arcula inclusa plumbea
Volvuntur, Oh durities!
Ad imum maris gurgitem.
At nova, quae non detegis
Sancta Fides miracula!
Per te natura protinus
Novo mutatur ordine.
Per te rati simillimum
Plumbum per aequor innatat,
Et Littus ad Scyllaceum
Quas habet opes aperit.

O ter, quaterque, et amplius
Beata semper arcula,
Quae tanti sacra militis
Ossa recondis gremio!
Sit honos Patri, et Filio
Cum recreante Spiritu,
Cui mare, terra, Sydera
Morem gerunt, et omnia. **Amen.**

℣. Et factus est Protector meus. *Ps.* 22.
℟. Qui fundit pro Christo sanguinem.

Ad Magnificat, Antiphona.

Non vestro Consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me Patrem, et Principem. *Gen. c.* 45.

Feria VI. post Octavam SS. Corporis Christi.

OFFICIUM

SS. CORDIS JESU

Duplex Majus.

EX CONCESSIONE SS. D. N. D. PII PAPÆ VI.

In primis Vesperis.

Omnia de die Octava Sanctissimi Corporis Christi, sine ulla Commemoratione. Sed si Officium Cordis Jesu transferatur, vel celebratur sub ritu duplici primae, vel secundae classis, puta quia Titulus Ecclesiae, aut Congregationis, tunc in primis Vesperis, omnia dicuntur, ut infra in secundis Vesperis, exceptis sequentibus.

℣. Miserator, et misericors Dominus.
℟. Longanimis, et multum misericors.

Ad Magnificat. Antiphona.

Misericordia Domini a progenie in progenies timentibus eum. Alleluja.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Cor Jesu, charitatis victimam, * Venite, adoremus.
Psalm. Venite exultemus.

Hymnus.

Quicumque certum quaeritis
Rebus levamen asperis,
Seu culpa mordet anxia,
Seu poena vos premit comes,
Jesu, qui, ut Agnus innocens,
Sese immolandum tradidit,
Ad Cor reclusum vulnere,
Ad mite Cor accedite.

Auditis, ut suavissimis
Invitet omnes vocibus?
Venite, quos gravat labor.
Premitque pondus criminum.
Quid Corde Jesu mitius?
Jesus, Cruci qui affixerant,
Excusat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor impios.
O Cor, voluptas Caelitum,
Cor fida spes mortalium,
En hisce tracti vocibus
Ad te venimus supplices.
Tu nostra terge vulnera
Ex te fluente Sanguine:
Tu da novum cor omnibus,
Qui te gementes invocant. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Factum est Cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Psalm. 21.

Deus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte; et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt Patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino; eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meae; In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu: * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum: * sicut leo rapiens, et rugiens.

Sicut aqua effusus sum: * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me: * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum: * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus : * universae familiae Gentium.

Quoniam Domini est regnum : * et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae : * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet : * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura : * et annuntiabunt Coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. Gloria Patri etc.

Antiph. Factum est Cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Antiph. Speravit Cor meum in Domino, et adjutus sum, et refloruit caro mea.

Psalm. 27.

Ad te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me : * ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meae, dum oro ad te, * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus ; * et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum, * et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis ; * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, * et in opera manuum ejus destrues illos, et non aedificabis eos.

Benedictus Dominus, * quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

Dominus auditor meus, et protector meus : * in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea ; * et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suae, * et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac Populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae ; * et rege eos, et extolle illos usque in aeternum. Gloria Patri etc.

Antiph. Speravit Cor meum in Domino, et adjutus sum, et refloruit caro mea.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me laetitia.

Psalmus 29.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine, eduxisti ab inferno animam meam; * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino, Sancti ejus, * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus, * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus, * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * non movebor in aeternum.

Domine, in voluntate tua * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factum sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo, * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo, * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei; * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi; * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar, * Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi. Gloria Patri etc.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me laetitia.

℣. Ego autem in Domino gaudebo.

℟. Et exultabo in Deo Jesu meo.

Lectio I.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios. *Cap. 1.*

Benedictus Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus, in Christo; sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem; ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus, in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo; in quo habemus redemptionem, per Sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus. Propterea non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini Nostri Jesu Christi Pater gloriae det vobis spiritum sapientiae, et revelationis, in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in Sanctis. Tu autem etc.

℟. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo: * In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus, et remissionem peccatorum.

℣. Det nobis Dominus illuminatos oculos cordis nostri, in agnitione ejus. — In quo etc.

Lectio II. *Cap. 2.*

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati), et conresuscitavit, et consedere fecit in Coelestibus in Christo Jesu; ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae, in bonitate super nos, in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum; et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore, Deo, per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso; et ve-

niens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. Tu autem etc.

℟. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, ostendit abundantes divitias gratiæ suæ: * In bonitate super nos, in Christo Jesu.

℣. Ipse enim est pax nostra, per quem habemus accessum ad Patrem. In bonitate super nos etc.

Lectio III. *Cap. 3.*

Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini Nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in Cœlis, et in terra nominatur, ut det vobis, secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris; in charitate radicati, et fundati; ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi; ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen. Tu autem etc.

℟. Det nobis Dominus virtute corroborari, per Spiritum ejus, in interiorem hominem, * Christum habitare per fidem in cordibus nostris.

℣. Ut in charitate radicati, et fundati comprehendamus supereminentem scientiæ charitatem Christi — Christum habitare etc. — Gloria Patri etc. — Christum habitare etc.

In II. Nocturno.

Atiph. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Psalm. 33.

Benedicam Dominum in omni tempore, * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea : * audiant mansueti et lætentur.

Magnificate Dominum mecum, * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me, * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini, * et facies vestrae non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, * et eripiet eos.

Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus : * beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum, omnes Sancti ejus, * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, et esurierunt ; * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me : * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam, * diligit dies videre bonos ?

Prohibe linguam tuam a malo, * et labia tua, ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum ; * inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos ; * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala, * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, * et de omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, * et humiles spiritu salvabit.

Multae tribulationes justorum, * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum ; * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima ; * et qui oderunt justum delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum, * et non delinquent omnes, qui sperant in eo. Gloria Patri, etc.

Ant. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus; beatus vir, qui sperat in eo.

Ant. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam intende, prospere procede, et regna.

Psalm. 44.

Eructavit cor meum verbum bonum; * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribae * velociter scribentis.

Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; * propterea benedixit te Deus in aeternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua, * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam; * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi: * virga directionis virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, * propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, * ex quibus delectaverunt te filiae Regum in honore tuo.

Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate?

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam; * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum, * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiae Tyri in muneribus, * vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus: * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam; * proximae ejus afferentur tibi.

Afferentur in laetitia, et exultatione, * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione, et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, * et saeculum saeculi. Gloria Patri, etc.

Ant. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam intende, prospere procede, et regna.

Antiph. Judicabit Populum in justitia, et pauperes in judicio.

Psalm. 71.

Deus judicium tuum Regi da, * et justitiam tuam filio Regis:

Judicare populum tuum in justitia, * et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo, * et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum; * et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole, et ante lunam, * in generatione, et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus, * et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: * donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare: * et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes, * et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insulae munera offerent, * Reges Arabum, et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes Reges terrae, * omnes Gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem a potente, * et pauperem, cui non erat adjutor.

Parcet pauperi, et inopi; * et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris, et iniquitate redimet animas eorum, * et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiae; * et adorabunt de ipso semper; tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium superextolletur super Libanum fructus ejus; * et florebunt de civitate, sicut foenum terrae.

Sit nomen ejus benedictum in saecula; * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae, * omnes Gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel, * qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum; * et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat fiat.

Gloria Patri etc.

Antip. Judicabit populum in justitia, et pauperes in judicio.

℣. Mihi autem adhærere Deo bonum est.

℟. Ponere in Domino Deo spem meam.

Lectio IV.

De Sermone Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. III. de Pass.

Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: Recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos; Tu dixisti accedentibus ad te: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cœlo. Accedamus ergo ad te, et exultabimus, et laetabimur in te, memores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, et affectus mentis commutabo; jactans omne cogitatum meum in Cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet. Tu autem etc.

℟. Introduxit me Rex in cellaria sua, ordinavit in me charitatem. * Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo — Fulcite etc.

Lectio V.

Ad hoc Templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini, dicens cum David: Invenit cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris, et Amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo, et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum; admitte tantum in Sacrarium exauditionis tuae preces meas; immo me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritudine speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me; ut purificatus per te purissimum possim accedere, et in Corde tuo omnibus diebus vitae meae merear habitare, et ut videre simul, et facere tuam valeam voluntatem. Tu autem etc.

℟. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in illa die: * Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

℣. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo — Confitemini etc.

Lectio VI.

Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in te, ab exterioribus perturbationibus absoluti, habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus; verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii agricolae foderunt manus, et pedes, latus, et cor; stemusque ut cor nostrum, durum adhuc, et impoenitens amoris sui vinculo constringere, et jaculo vulnerare dignetur. Tu autem etc.

℟. Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum; * Et Spiritum meum ponam in medio vestri.

℣. Effundam super vos aquam vivam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris — Et Spiritum etc. — Gloria etc. — Et Spiritum etc.

In III. Nocturno.

Antiph. Misericordiam, et virtutem diligit Deus, gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Psalm. 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine, * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te; * ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam, * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice, Deus, * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei * magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus; * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia; * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Gloria etc.

Antiph. Misericordiam, et veritatem diligit Deus; gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Antiph. Dominus dabit benignitatem; loquetur pacem in plebem suam.

Psalm. 84.

BEnedixisti, Domine, terram tuam, * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ, * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam, * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos, Deus salutaris noster, * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos, * et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, * et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super Sanctos suos, * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, et veritas obviaverunt sibi; * justitia, et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est, * et justitia de Cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem, * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit, * et ponet in via gressus suos. Gloria Patri etc.

Antiph. Dominus dabit benignitatem; loquetur pacem in plebem suam.

Antiph. Suavis, et mitis es, Domine, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Psalm. 85.

INclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me; * quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum; * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die; * lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis, et mitis, * et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam, * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te, * quia exaudisti me.

Non est similis tuis in Diis, Domine, et non est secundum opera tua.

Omnes Gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine; * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua; * lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo,* et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me, * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam; * et non posuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus miserator, et misericors, * patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei, * da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur; * quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me. Gloria Patri, etc.

Antiph. Suavis, et mitis es, Domine, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

℣. Misericordia Domini ab æterno.

℟. Et usque in æternum, super timentes eum.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 15. v. 9.

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Sicut dilexit me Pater, et Ego dilexi vos. **Manete in dilectione mea.** Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. XIII. in Coena Domini.

De dilectione Dei quo plus bibo, plus sitio, et ea saturari non possum nec ego, nec aliquis diligens Christum. Ipsa quo plus editur, plus famem exauget; et quanto plus ipsa bibitur, plus sitim inacuit; ipsam, quam inhabitat, mentem sic inebriat, ut nihil jam quaerat, vel diligat, nec diligere possit, nec valeat, praeter eum, qui sic Mundum dilexit, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit, et diligit illum non moriatur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectionem auctor ipse inaestimabilis charitatis invitat; in eo nos manere predicatur, et rogat. Ait enim: Manete in dilectione mea, ac si aperte dicat: Quia ego ea dilectione, qua me Pater diligit, vos diligo, eadem dilectione me vos diligere rogo. Et quoniam dilectio vestra me usque ad mortem perduxit, sed neque mors crudelissima ipsa a vestra charitate me sejunxit, me diligite, et in ea dilectione manete. Tu autem etc.

℟. Sicut dilexit me Pater, et Ego dilexi vos. * Manete in dilectione mea.

℣. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione — Manete etc.

Lectio VIII.

Sed qualiter in ejus dilectione manere debeamus, sequitur, et dicit; Si praecepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione. Sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Haec opera, Fratres mei, sunt caussa dilectionis Christi: unusquisque vestrum videat, si Dominum Jesum diligere debeat. Quid pro nobis facere debuit, et non fecit? Quomodo non plus amare potuit, et non amavit? Majorem in nobis dilectionem non potuit habere, quam habuit; quia animam suam pro nobis posuit. Ipsa beata Veritas testis est, quam majorem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Non ergo nobis vilescat, Fratres mei, ipsa dilectio Christi, qui dilexit nos,

et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo: non vobis vilescat, Fratres mei, non vobis amarescat ipse amor Christi, ipsa charitas Christi. Tu autem etc.

℟. Christus pro nobis animam suam posuit, * Et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo.

℣. Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis — Et lavit nos etc. — Gloria etc. — Et lavit etc.

Lectio IX.

Amor Christi totus dulcis, totus delectabilis, suum possessorem non cruciat, sed delectat, non enervat, sed roborat; cuncta terrena subsannat, sola cælestia captat. Christi mandata requirit, et ea pro viribus observare contendit; et de observatione praeceptorum gressu felici provehitur ad perceptionem gaudiorum, ut cum illo jam perfecte gaudeat, pro cujus desiderio in hac valle lacrymarum positus tam amare feliciter suspirabat. Unde recte sequitur: Hæc locutus sum vobis sit, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatus; ac si diceret: Ideo præcipio vobis, et moneo vos mea observare praecepta, et manere in dilectione mea, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum de me adimpleatur; ut habeam de vobis per mutuam charitatem, quam mihi impenditis, unde possim gaudere: et illud gaudium, quod in retributione præmiorum electi sunt percepturi, percipere, et possidere possitis. Tu autem etc. Te Deum etc.

Ad Laudes.

Antiph. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris.

Psalm. Dominus regnavit etc. *cum reliq. de Laud. de Dominic.*

Antiph. Suavis est Dominus, et in æternum misericordia ejus.

Antiph. Sitivit in te anima mea; quia melior est misericordia tua super vitas.

Antiph. Sancti, et humiles corde, benedicite Domino; laudate, et superexaltate eum in saecula.

Antiph. Beneplacitum est Domino in populo suo exaltabit mansuetos in salutem.

Capitulum. *Cant. III. 11.*

EGredimini, et videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis ejus, et in die lætitiæ cordis ejus.

Hymnus.

SUmmi Parentis Filio
Patri futuri sæculi,
Pacis beatæ Principi,
Promamus ore canticum.
Qui vulneratus pectore
Amoris ictum pertulit,
Amoris urgens ignibus
Ut ipsum amantem diligant.
Jesu doloris victima,
Quis te innocentem compulit,
Dura ut apertum Lancea
Latus pateret vulvere?
O fons amoris inclyte,
O vena aquarum limpida!
O flamma adurens crimina.
O cordis ardens charitas!
In Corde, Jesu, jugiter
Reconde nos, ut uberi
Dono fruamur gratiæ,
Cælique tandem præmiis.
Semper Parenti, et Filio
Sit laus, honor sit, gloria
Sancto simul Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Misericordia Domini ab æterno.
℟. Et usque in æternum super timentes eum.

Ad Benedictus. Antiphona.

Per viscera misericordiae suæ visitavit nos Deus, et fecit redemptionem populi sui. Alleluja.

Oratio.

Fac nos Domine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari; ut et imagini bonitatis tuæ conformes, et tuæ redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis, et regnas etc.

Ad Primam.

Antiph. Discite a me etc.

℟. *br.* Christe Fili Dei vivi: * Miserere nobis — Christe etc.

℣. Per quem salvati, et liberati sumus — Miserere etc. — Gloria Patri etc. Christe.

℣. Exurge Christe etc.

℟. Et libera nos etc.

Ad Absol. Capit.

Improperium expectavit cor meum etc. *ut infra ad Nonam.*

Ad Tertiam.

Antiph. Suavis est Dominus.

Capitulum.

Egredimini etc. *ut ad Laudes.*

℟. *br.* Misericordia tua Domine, * Plena est terra — Misericordia tua etc.

℣. Justificationes tuas doce me. Plena est terra — Gloria Patri etc. — Misericordia tua Domine etc.

℣. Secundum misericordiam tuam vivifica me, Domine.

℟. Et custodiam testimonia oris tui.

Ad Sextam.

Antiph. Sitivit in te.

Capitulum. Cant. 8. 6.

POne me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est, ut mors, dilectio.

℟. br. Secundum misericordiam tuam vivifica me, Domine — Secundum etc.

℣. Et custodiam testimonia oris tui. Vivifica me, Domine — Gloria Patri etc. — Secundum misericordiam etc.

℣. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.

℟. Et doce me justificationes tuas.

Ad Nonam.

Antiph. Beneplacitum est.

Capitulum.

Psalm. 68.

IMproperium expectavit cor meum, et miseriam: Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.

℟. br. Fac cum servo tuo * Secundum misericordiam tuam — Fac cum servo tuo etc.

℣. Et justificationes tuas doce me — Secundum misericordiam tuam — Gloria Patri etc. — Fac cum servo tuo etc.

℣. Veniat super me misericordia tua, Domine.

℟. Salutare tuum, secundum eloquium tuum.

Ad Vesperas.

Antiph. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Psalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo: * sede a dextris meis,
Donec ponam inimicos tuos: * scabellum pedum tuorum.
Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: * tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis: * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet, * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, etc.

Antiph. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Antiph. Miserator Dominus, redemptionem misit populo suo.

Psalm. 110.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: * in consilio justorum, et congregatione.

Magna opera Domini: * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio, et magnificentia opus ejus: * et justitia ejus manet in saeculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus: * escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis hæreditatem Gentium: * opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi: * facta in veritate, et æquitate.

Redemptionem misit populo suo: * mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum, et terribile nomen ejus: * initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio ejus manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc.

Antiph. Miserator Dominus, redemptionem misit Populo suo.

Antiph. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Psalm. 129.

De profundis clamavi ad te Domine : * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine, * Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus. Gloria Patri etc.

Antiph. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Antiph. Super misericordia tua Domine confitebor tibi in toto corde meo.

Psalm. 137.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi : * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, et veritate tua : * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me : * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terrae : * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini : * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, *

et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine, misericordia tua in saeculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Gloria Patri.

Antiph. Super misericordia tua Domine, confitebor tibi in toto corde meo.

Antiph. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Psalm. 144.

Exaltabo te, Deus meus Rex, * et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi.

Per singulos dies benedicam tibi, * laudabo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis: * et magnitudinis ejus non est finis.

Generatio, et generatio laudabit opera tua: * et potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur: * et mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent: * et magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt: * et justitia tua exultabunt.

Miserator, et misericors Dominus: * patiens, et multum misericors.

Suavis Dominus universis: * et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: * et sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent: * et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, * et gloriam magnificentiae regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium saeculorum: * et dominatio tua in omni generatione, et generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: * et sanctus in omnibus operibus suis.

Allevat Dominus omnes, qui corruunt, * et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant, Domine: * et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam: * et imples omne animal benedictione.

Justus Dominus in omnibus viis suis: * et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: * omnibus invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet, * et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se: * et omnes peccatores disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum, * et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi. Gloria Patri etc.

Ant. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Capitulum. *Cant. 3. 11.*

Egredimini, et videte, Filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis ejus, et in die laetitiae Cordis ejus.

Hymnus. Quicumque certum quaeritis etc. *pag. 161. at ad Matutinum.*

℣. Misericordia Domini a progenie in progenies.

℟. Timentibus eum.

Ad Magnificat. Antiphona.

Suscepit nos Dominus in Sinum, et Cor suum, recordatus misericordiae suae. Alleluja.

Magnificat * anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo : * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis : * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, et semini ejus in saecula. Gloria Patri etc.

Ant. Suscepit nos Dominus in Sinum, et Cor suum, recordatus misericordiae suae. Alleluja.

Oratio.

Fac nos, Domine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari; ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre etc.

TUSCULANA.

Concessis jam a fel. rec. Clemente Papa XIII. sub die 14. Februarii 1767. utrique Clero Civitatis, et Dioecesis Tusculanae Officio, et Missa Sacratissimi Cordis Jesu sub ritu duplicis majoris pro feria sexta per Octavam SS. Corporis Christi die 11. Maii 1765. a Sacr. Rituum Congregatione adprobat. SS. Dominus Noster Pius Papa VI. *ad enixas preces Celsitudinis Regiae Em., et Rev. Domini Cardinalis Ducis Eboracensis Episcopi Tusculani, commutationem praedicti Officii cum Missa Sacratissimi Cordis Jesu ut supra concessi, in alterum noviter exaratum, dieque vigesima prima Januarii currentis anni 1778. ab eadem Sanctitate Sua ad instantiam Serenissimae Portugalliae, et Algarbiorum Reginae pro suis Regnis, et Dominiis adprobati, Clero Tusculano praedicto sub eadem die, ac ritu recitan. benigne concessit. Die 14. Februarii 1778.*

M. Card. Marefuscus Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Gallo S. R. C. Secretarius.

IN FESTO

B. JOANNIS MARINONII

SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM THEATINORUM.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui Beatum Joannem Confessorem tuum per assiduam Passionis tuae contemplationem imitatorem tui eximium effecisti; ipsius quaesumus intercessione concede, ut ejusdem vestigiis inhaerentes; Passionis tuae fructus percipere valeamus. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre etc.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joannes Marinonius ex illustri Familia Venetiis natus, Canonicus fuit in celebri S. Marci Basilica, ubi non pauca praebuit Virtutum exempla. Sed divini amoris aestu ad majora vocatus, perfectius vitae institutum sibi proposuit. Motus enim fama nascentis tunc Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum, provolutus pedibus S. Cajetani ejusdem Ordinis Institutoris, ab ipso impetravit, ut suos inter Alumnos cooptaretur. Incredibile autem dictu est, quanta animi alacritate novum hoc vitae genus amplexus fuerit. In observandis Instituti legibus diligentissimus, orationi continuo intentus, cilicio, jejuniis, vigiliis corpus exercens suum, exemplum se se omnibus praebuit verae Evangelicae perfectionis. Contemplationi praesertim Dominicae Passionis addictus, tantam inde hausit humilitatem, ut vilissimum se peccatorem coram Deo, et hominibus profitens, cum oblatum sibi intelligeret a Pontifice Paulo IV. Archiepiscopatum Neapolitanum, precibus, et lacrymis, imploraverit, ne tanta sibi dignitas conferretur. Hinc solum cogitans, quae Dei sunt, vitam duxit tam castam, et omni virtutum genere exercitatam, ut a S. Cajetano Angelus in carne, et a S. Andrea Avellino viva Imago verae Sanctitatis diceretur. Tu autem etc.

Lectio V.

Charitate erga Proximum, Pater pauperum, et Angelus consilii, ac pacis dici poterat. In reficiendis enim egenis, et visendis infirmis, iisque assiduo in publicis Nosocomiis tum Neapoli, cum Venetiis adjuvandis, paternae ostendit viscera misericordiae. Spiritum vero consilii ostendit maxime in regendis tum Religiosis suis, quibus plures per annos præesse coactus est, tum pluribus Sanctimonialibus, aliisque spiritualibus Filiis, inter quos praesertim fuit Cardinalis de Aretio, cujus heroicas virtutes jam Sedes Apostolica approbavit, ac S. Andreas Avellinus, quem universa veneratur Ecclesia. Ad pacem hortari Principes per literas conabatur, cum bellum imminens videretur. Pacem initam praecognoscens prophetico quodam spiritu concionando annuntiavit, ut Populum consolaretur. Pacem quoque afferre turbatis spiritibus, et anxiis conscientiis peculiare fuit ejus donum, quod maxime effulsit, cum morientibus praesto esset. Tu autem etc.

Lectio VI.

PRo honore Dei vir licet suavis, et mitis, zelo exarsit maximo in Hæreticorum erroribus, et in sæculi vitiis expugnandis. Pluries in hebdomada ad Populum, pluries in die ad Religiosos suos de divinis rebus sic loquebatur, ut in simplicitate sermonis, igneo veluti eloquio præditus videretur, et quasi de parva scintilla magnum in Populo excitans divini amoris incendium, omnes implebat horrore, ac dolore culparum, ut Poenitentiam peragerent. Lethali demum morbo correptus meritis plenus Neapoli in aedibus Sancti Pauli obdormivit in Domino aetatis suae anno septuagesimo secundo, Fama Sanctitatis, et Miraculorum maxime clarus. Tu autem etc.

SS. MM. JAPONUM

E SOCIETATE JESU

PAULI, JOANNIS, ET JACOBI *dup.*

Oratio.

Deus qui primitias fidei apud Japoniae Gentes beatorum Martyrum tuorum Pauli, Joannis, et Jacobi sanguine confirmasti: concede propitius, ut ad tui nominis confessionem, quorum excitamur exemplis, eorum precibus adjuvemur. Per Dominum.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.
Si vero celebretur in Quadrag., *Lectiones*, Fratres, Debitores sumus, *de Comm. plur. Martyr.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio IV.

Taicosama Japoniae Imperatore in Christianos saeviente, tres e Societate Jesu Japonenses, Paulus Miki, Joannes de Goto, et Jacobus Kisai, fidem, quam ibi S. Franciscus Xaverius magnis sudoribus plantaverat, ipsi suo etiam sanguine irrigarunt. Paulus claro genere ortus, ac tum profanis, tum sacris litteris excultus, annum agebat tertium ac trigesimum, jamque Sacerdotio initiandus, qua voce, qua scriptis libris plurimos e popularibus suis, partim ab errore ad veritatem, partim a vitiis ad virtutem traduxerat. Joannes annos tantum undeviginti natus litterarum studiis operam dabat; ac divinae legis elementa populo explicans, obeundis olim Evangelicis ministeriis proludebat. Jacobus quarto supra sexagesimum anno jam expleto, quamquam et ipse Catechista, rem tamen etiam domesticam curabat humilitate, ac patientia singulari, quas ad Virtutes quotidiana Christi patientis meditatione mirum in modum excitabatur. ℟. Sancti tui.

Lectio V.

Ergo comprehensi, atque extrema sinistrae auris parte in Meacensi foro publice mulctati, revinctis post tergum manibus, vili in plaustro per vicos primum hujus, tum aliarum Japoniae Urbium, sexcentorum milliarium itinere terrestri, quo ignominia, et terror latius spargeretur, summa hieme circumducuntur, praeeunte lictore, ac sententiam crucis in eos scriptam praeferente, quod vetitam a Tyranno Christi legem praedicassent. Sed, cum illi, aerumnas inter, et ludibria laeti semper, atque alacres, quod verbis astruebant, exemplo quoque confirmarent; Paulus vero etiam in Meacensi carcere duos e Custodibus, sexque alios in Ozacensi, atque alicubi Gubernatorem ipsum Christo adjunxisset, triumphus ille Fidei, non probrum fuit: iratis palam Taicosamae Bonziis, quod homines istos per Japoniam circumveheret, ad Christi sectam disseminandam scilicet, non extirpandam.

℣. Verbera carnificum.

Lectio VI.

Tandem Nangasachium perducti, paratis in colle crucibus, quas ipsi antea venerabundi salutaverant, affiguntur. Aderat Joannis pius, ac fortis Genitor, nec satis patuit, uter supplicium laetius ille ne tulerit, an iste spectarit. Nec minor in Jacobo, devexa licet aetate, animi vigor eminebat. At Paulus e triumphali illo crucis pulpito, nativam hominis eloquentiam stimulante Dei charitate, ad circumfusam multitudinem pro Christiana Religione peroravit: illud palam sibi gratulatus, quod in cruce, ut Christus Dominus, eademque, atque ille aetate moreretur: donec singuli ab imis lateribus ad humeros binis lanceis transfixi victrices animas coelo inferendas emisere nonis Februarii, anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo. Pendentes corporum exuvias Episcopus Japoniae, ad collem mox veniens, positis humi genibus publice est veneratus, atque ex illo coepit locus esse omnibus venerationi. Id vero sibi gratum extitisse, variis Deus ostendit signis: inter quae illud praecipuum, quod sanguis Martyrum semen fuit Christianorum. Quibus rite probatis, Urbanus octavus Pontifex Maximus eos beatorum Martyrum fastis adscripsit.

℟. Tamquam aurum.

S. PETRI DAMIANI

CARDIN. EPISC. CONF., ET DOCT. DUPL.

In utriusq. Vesp. Antip. ad Magn. O Doctor optime.

Oratio.

Concede nos, quaesumus, omnipotens Deus, Beati Petri Confessoris tui, atque Pontificis, monita, et exempla sectari; ut per terrestrium rerum contemptum aeterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente. Si vero celebretur in Quadragesima, leguntur Lectiones: Fidelis sermo etc., *ut in communi Pontificum.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio VI.

Petrus Ravennae honestis Parentibus natus adhuc lactens a Matre numerosae prolis pertaesa abiicitur; sed domesticae mulieris opera semivivus exceptus, ac recreatus, Genitrici ad humanitatis sensum revocatae redditur. Utroque orbatus Parente, tamquam vile mancipium, sub aspera fratris tutela duram servitutem exercuit. Religionis in Deum, ac pietatis erga patrem egregium tunc specimen dedit; inventum siquidem forte nummum, non propriae inediae sublevandae, sed Sacerdoti, qui divinum Sacrificium ad illius expiationem offerret, erogavit. A Damiano fratre, a quo, uti fertur, cognomentum accepit, ejus cura litteris eruditur; in quibus brevi tantum profecit, ut magistris admirationi esset. Cum autem liberalibus scientiis floreret, et nomine, eas cum laude docuit. Interim, ut corpus rationi subderet, sub mollibus vestibus cilicium adhibuit, jejuniis, vigiliis, et orationibus solerter insistens. Calente juventa,

dum carnis stimulis acriter urgeretur, insultantium libidinum faces rigentibus fluvii mersus aquis noctu extinguebat; tum venerabilia quaeque loca obire, totumque Psalterium recitare consueverat. Ope assidua pauperes levabat, quibus frequenter pastis convivio, propriis ipse manibus ministrabat.

Lectio V.

Perficiendae magis vitae caussa in Avellanensi Eugubinae Dioecesis Coenobio Ordini Monachorum Sanctae Crucis Fontis Avellanae a Beato Ludulpho Sancti Romualdi Discipulo fundato nomen dedit. Non ita multo post in Monasterium Pomposianum, mox in Coenobium Sancti Vincentii Petrae Pertusae ab Abbate suo missus, utrumque Asceterium verbo sacro, praeclaris institutionibus, et moribus excoluit. Ad suos revocatus post Praesidis obitum Avellanitarum familiae praeficitur; quam novis variis in locis extructis domiciliis, et sanctissimis institutis ita auxit, ut alter ejus Ordinis Parens, ac praecipuum ornamentum jure sit habitus. Salutarem Petri sollicitudinem alia quoque diversi instituti Coenobia, Canonicorum conventus, et populi sunt experti. Urbinati Dioecesi non uno nomine profuit: Theuzoni Episcopo in causa gravissima assedit, ipsumque in recte administrando Episcopatu consilio, et opera juvit. Divinorum contemplatione, corporis macerationibus, caeterisque spectatae sanctimoniae exemplis excelluit. His motus Stephanus Nonus Pontifex Maximus eum, licet invitum, et reluctantem, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem creavit, et Ostiensem Episcopum. Quas Petrus Dignitates splendidissimis virtutibus, et consentaneis Episcopali ministerio operibus gessit.

Lectio VI.

Difficillimo tempore Romanae Ecclesiae, Summisque Pontificibus doctrina, Legationibus, aliisque susceptis laboribus mirifice adfuit. Adversus Nicolaitarum, et Simoniacam Haereses ad mortem usque strenue decertavit. Hujusmodi depulsis malis, Mediolanensem Ecclesiae Romanae conciliavit. Benedicto, et Cadolao falsis Pontificibus fortiter restitit. Henricum quartum Germania Regem ab iniquo Uxoris divortio deterruit. Ravennates ad debita Romano Pontifi

obsequia revocatos sacris restituit. Canonicos Veliternos ad sanctioris vitae leges composuit. In Provincia praesertim Urbinate vix ulla fuit Episcopalis Ecclesia, de qua Petrus non sit benemeritus; Eugubinam, quam aliquando creditam habuit, multis levavit incommodis: alias alibi, quando oportuit, perinde curavit, ac si suae essent tutelae commissae. Cardinalatu, et Episcopali Dignitate depositis, nihil de pristina juvandi proximos sedulitate remisit. Jejunium sextae Feriae in honorem S. Crucis Jesu Christi; horarias Beatae Dei Genitricis preces, ejusque die Sabbato cultum propagavit. Inferendae quoque sibi verberationis morem ad patratorum scelerum expiationem provexit. Demum sanctitate, doctrina, miraculis, et praeclare actis illustris, dum e Ravennate Legatione rediret, Faventiae octavo Kalendas Martii migravit ad Christum. Ejus Corpus ibidem, apud Cistercienses multis miraculis clarum, frequenti Populorum veneratione colitur. Ipsum Faventini non semel in praesenti discrimine propitium experti, Patronum apud Deum delegerunt; Leo vero Duodecimus Pontifex Maximus Officium, Missamque in ejus honorem, tamquam Confessoris Pontificis, quae aliquibus in Dioecesibus, atque in Ordine Camaldulensium jam celebrabantur, ex Sacrorum Rituum Congregationibus Consulto, addita Doctoris qualitate, ad universam extendit Ecclesiam.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium: Vos estis sal terrae: *de Communi Doctorum.*

Missa In Medio Ecclesiae *cum Oratione propria, ut supra.*

Die XXVIII. Februarii

IN FESTO

S. JULIANI, ET EUNI *Martyr. dupl.*

Ad Magnificat Antiph.

Cum pervenisset B. Julianus ad locum ubi decollandus erat, positis genibus dixit: Gratias tibi Christe rex gloriose, quia nos usque in hanc horam perduxisti, et cum haec dixisset, gladio Caesus Sanctissimam Caelo animam reddit.

Oratio.

Deus qui B. Julianum martyrem tuum virtute constantiae in passione roborasti: Da ex ejus nobis protectione prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dom.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

Si venerit in quadrag. Fratres debitores.

I. II. Noct. *Lectio IV.*

Julianus Antiochiae nobilibus, et copiosis parentibus natus, et pietate egregie instructus tam ingenii laude ac litterarum studiis, quam morum innocentia aequalibus praelucebat. Cum servandae puritatis miro desiderio teneretur, Deo mouente ac ne jacturam castitatis metueret confirmante Basilissam nobilitate generis conspicuam, parentum jussis obtemperans uxorem duxit: cui prima nuptiarum nocte persuasit ut pari consensu virginitatem in conjugio servaret illaesam. Quam vero gratum Deo fuerit pium illud mutuae voluntatis propositum circumfusa clarissima luce, et una cum Christo Domino, ejusqae genitrice apparentibus ac plaudentibus Sanctarum Virginum choris Celestia signa docuerunt.

℟. Honestum etc.

Lectio V.

HAud multo post utrisque Parentibus vita functis universa haereditate in Christi pauperes erogata, curas omnes ad animarum lucra studiosissima contulerunt. Itaque innocentissimae vitae exemplis ac salutaribus documentis scientia Sanctorum Julianus vir Basilissa femina informabant. Interea cum in Oriente Maximus rerum potiretur, et persecutiones Diocletiani adhuc procella saeviret assiduas ad Deum preces pro pace Ecclesiae, et fratrum constantia Sancti conjuges effundebant. Intellexit autem Domino revelante, Basilissa se brevi ad Sanctarum in Caelo Virginum consortium transituram. Julianum vero ad graviora certamina reservari. Id cum Basilissa viro suo renunciasset, sociosque suos propinquee mortis admonuisset, intra semestre tempus, sicut Basilissa praedixerat decesserunt, quas ipsa subsecuta ad Coelestis agni nuptias evocata est.

℟. Desiderium animae.

Lectio VI.

SUperstes ad nova fortitudinis experimenta Julianus intentas primum a Marciano Antiochiae Praefecto minas et blanditias superavit. Mox fustibus contusus, atque in diversis Urbis locis cruciatus Celsum puerum Marciani filium Christo lucrifecit. Impius autem Pater cum illos a Juliano divellere non posset, ambos in Carcerem conjecit ubi viginti milites miraculis ad Christum conversi, una cum puero Celso baptizati sunt. Hi omnes cum Juliano in candas ferventis picis, et resinae plenas injecti incolumes exierunt. Quamobrem furente Marciano milites jaculantur, Julianus in privata custodia cum Gelso Marcionilla ejus matre, et reliquis recluditur: ibique Marcionilla miraculis, vehementer commota in Christum credidit, atque ab Antonio Presbytero, qui ob praeclaram Christi Confessionem comprensus fuerat, baptismum suscipit. Deinde nobilis Christi atleta cum sociis ad bestias damnatur, nec laeditur, tum variis tentatus suppliciis, ad extremum capite plexus una cum Antonio Presbytero Anastasio quem Julianus a morte suscitatam gratiae Christi participem fe-

cerat simul etiam Celsus puer cum Matre Marcionilla et septem fratres aliique plurimi, illustre martyrium consumaverunt. Passus est quinto idus Januarii Orientem Regente Maximo multis etiam post excessum clarus miraculis.
℟. Stola jucunditatis.
Homilia S. Ilarii Episcopi in Evang.
Nihil est opertum ut in fest. S. Pantaleonis.
Ad Bened. antiph. ut in 1. Vesperis.
I. II. Vesperis Ad Magn. Antiph.
Sancte Martyr Juliane deprecare Dominum ut nobis omnibus misereri dignetur.

Die VI. Februarii

IN FESTO

S. DOROTHEÆ V. ET M. *sem.*

Pro Ecclesiis Bamberg. Viennen. ac Venetiarum, et alibi.

Omnia de Communi Virginum, praeter, ea quae hic assignantur.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, in cujus nomine gloriosa virgo et martyr Dorothea multorum genera tormentorum superavit: te suppliciter exoramus, ut ejus interventu cuncta pericula vincamus, ipsamque in nostris necessitatibus celerem adjutricem sentiamus. Per.
Si fuerit in Quadr. fit commem. Feria.
In I. Noct. Lect. de Script. occurr.
Si celebretur in Quadrag. Lect. de libro Ecclesiastici. Confitebor tibi Domine Rex eodem Comuni. Ivi.

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Dorothea Caesareae Cappadociae pro Christo captiva, captivos in triumphum Cupidinem, et Sapricium tyrannum duxit. Haec enim expugnanda binis sororibus Crystae et Callistae tradita, quae datam Deo fidem metu suppli-

ciorum prodiderant, tam fortiter decertavit, ut ambas ab impiis castris ad antiquam fidei stationem redire impulerit, ita ut ambae sanguine pro Christo fuso, prius proditionis crimen eluerint. Dorothea vero victorias victoriis nectebat; cruentas quidem, gloriae tamen plenas; utpote quae probe noverat, non tam placere virginem Christo Sponso, quae aliena, quam quae sua purpura ruberet.

℟. Propter veritatem Ivi.

Lectio V.

ITaque cum faces lateri admoverentur, has illa nuptiales taedas credere, cum ad gladium citaretur, inter lictores, non fecus ac paranymphos ad thalamum ire, et ad supplicii tandem locum, velut ad coeli hortos ridere visa est. Haec inter Theophilus quispiam risit tam innocentem virginis risum, et sibi è sponsi viridariis rosam vernam, vel quodpiam autumni munus, pomum, virginem poposcit: promisit Dorothea utrumque, et gladio percussa fidem extemplo liberavit.

℟. Dilexisti justitiam. Iv.

Lectio VI.

ADest namque lectissimus è coelo Ephebus, ac promissum Theophilo, eodem in calatho, ver, et autumnum offert. Miratur ille purpureas in hyeme rosas, miratur poma recentia, miratur et certantem eum munere suo muneris bajulum; et jam non contentus horti vidisse munera, ad ipsos per omnia tormenta penetrare hortos contendit Christianus quae ille ut spinas generosa calcavit, nihil poenarum metuens, dummodo quas rosas quaereret, inveniret.

℟. Afferentur Regi. IV.

In III. Nocturno.

Homilia in Evang. Simile erit regnum coelorum, ut in *Communi Virginum*, Ivi.

Die V. Martii

IN FESTO

B. JOAN. JOSEPHI DE CRUCE

CONFESSORIS.

DUPLEX MINUS.

Officium de Comm. Conf. non Pont. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui B. Johannem Josephum Confessorem tuum per arduas paupertatis, humilitatis, et patientiae vias cælesti gloria sublimasti: Da nobis quaesumus, ut carne mortificati ejus imitemur exempla, et gaudiis perfruamur æternis. Per Dominum nostrum etc.

Lection. I. Noct. Beatus vir, *de eod. Dom. 2. Loco.*

In II. Noct. *Lectio I.*

Isclae Regni Neapolis in Urbe apud Ænariam Insulam, Parentibus nobilitate sanguinis, morumque probitate praestantibus ortus est B. Johannes Josephus de Cruce. Christianae pietatis semina, quae in ejus animam, supernis benedictionibus praeventam, cum lacte instillaverant, fructus mox uberrimos attulerunt. Tenerrima adhuc aetate, nedum a nugis puerilibus abhorruit, sed virtutes excolere coepit illustriores, silentii potissimum, mortificationis, Mundi, suique ipsius abnegationis, quas assiduo Orationis studio confovebat. Deiparae cultum, quem ad obitum usque in dies auxit, interea temporis arripuit: Dominicaeque Passionis, et Eucharistiae Mysteria affectu peculiari prosequebatur. S. Petri de Alcantara Institutum, quod Johannes de S. Bernardo ex Hispanis Excalceatis, Clemente IX. adprobante, nuperrime In Italiam invexerat,

divino afflante Numine, anno vitae suae sextodecimo amplexus est Italorum primus. Seraphico Patriarcha, fidissimoque ejus Alumno Petro de Alcantara in ipso tirocinio sibi ad imitandum propositis; Mirum quam perfectae poenitentiam hujus, et contemplationem humilitatem illius, ac paupertatem jam tum fuerit adsecutus.

℟. Honestum etc.

Lectio II.

Tertio vix decurso a solemni Professione sua anno, Pedemontani Aliphae Coenobii fundationi destinatur, quod ejus opera exiguum adeo evasit, ut alterius, quod olim in Pedroso Extremadurae S. Petrus de Alcantara; Clericus ipse quoque excitaverat, imaginem simillimam referret. Sacerdotio ex obedientia inauguratus, Disciplinis Moralibus, quas numquam perdidicerat, improviso excultus visus est. Superiorum venia non longe ab eo Cœnobio, Sacram eremum extruere aggressus subter excelsi Montis dejectu, ut absolveretur quam citissimè, ligna, lapides, calcem humeris suis mordarci lorica contectis exportabat, ita ut per calcanea cruor ubertim in terram deflueret. Fratrum rogatu Leges quasdam pro Sacro illo recessu peculiares condidit, dignas, quae a Sede Apostolica confirmarentur. Novitiorum regimini praepositus, eorum ad vitam regularem componere mores eo profecta enixus est ut illorum ad vitam regularem componere mores, eo profectu enixus est, ut illorum aliqui Sanctitatis, et miraculorum fama inclaruerint. Verum cum Clemens Papa XI. Seculi hujus decimi octavi initio Fratres Italos excalceatos ab Hispanis in Regno Neapolis sejunxisset, illique nulla regiminis forma potirentur, ab eodem Pontifice, obsistente licet humani generis hoste, Provinciae Neapolitanae S. Petri de Alcantara nuncupatae, directionem obtinuit. Amavit etc.

Lectio III.

Primus novae istiusmodi Provinciae Minister renuntiatus, regimen, quod abdicaverat, Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium jussu assumere coactus, difficile relatu est, quot qualesque calumnias Dei Famulo devorare opus fuerit, ut Italicam Excalceatorum Fratrum Familiam

constabiliret. Rebus compositis, eo sese totum convertit, ut duplex ille Petri de Alcantara Contemplationis, et Poenitentiae Spiritus altas inter suos radices ageret; Quos praeclarissimis virtutum exemplis anteibat, humilitate imprimis, rigidaque Claustralis Disciplinae custodia, Paupertate, et Abstinentia enituit admirabili. Unicum ad nudam Carnum sexaginta quatuor annis habitum adhibuit; perque viginti quatuor annos, priscorum Eremicolarum ritu, pane tantum, ac fructibus victitavit. Quod edulii genus ex obedientia in nauseorum commutavit ferculum. Flagellis asperrimis, Ciliciis, et Cruce ferrea, acutis instructa claviculis, Corpus suum dilaniabat. Illud etiam de eo fertur, quod creberrimas inter orandum Ecstases passus est, quodque Raptibus, Prophetia, Miraculis, aliisque hujusmodi supernaturalibus donis vivens claruerit. Denique zelo animarum absumptus, octagenarius, apopletico morbo correptus, tertio Nonas Martias in osculo Domini obdormivit in Coenobio S. Luciae Montis Urbis Neapolis anno septingentesimo trigesimo quarto supra millesimum. Eumdem novis Miraculis coruscantem anno ab illius decessu quinquagesimo sexto PIUS VI. P. M. Beatorum albo recensuit.

℟. Iste Homo etc.

LECTIONES III. NOCTURNI.

Nolite timere etc. *ut in eod. Comm. II. Loco.*

DECRETUM NEAPOLITANUM.

SAcr. Rit. Congregatio ad humillimas preces Fr. Deodati ab Assumptione Ministri Provinciae Excalceatorum S. Petri de Alcantara nuncupat in Regno Neapolis, referente Em., et Rev. Dom. Card. Corsinio Episcopo Sabinen. suprascriptas Lectiones II. Nocturni proprias, cum Elogio apponen. in Martyrologio Ordinis, in honorem Beati Joannis Josephi a Cruce, ab eodem Em., et Rev. Dom. Card. Corsinio, et a R. P. Carolo Erskine S. Fidei Promotore revisas approbavit, atque in Officio ejusdem Beati in universo Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. utriusque Sexus, in civitate Neapolitana, ubi Venerabile ejus Corpus requie-

scit, et in Civitate Isclana, in qua ortum habuit, ab omnibus utriusque Sexus Christifidelibus tam Saecularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, recitari posse concessit; necnon ritum ejusdem Officii ad dupl. maj. pro familia Italica excalceatorum S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano existen. benigne elevavit, si S. S. Dom. Nostro PIO VI. Pont. Max. placuerit. Die 29. Maii 1790.

Quibus a me infrascripto Secre I. eidem SS. Dom. Nostro relatis; SANCTITAS SUA benigne annuit die 2. Junii 1790.

J. Card. Archintus Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

D. Coppola S. R. C. Secretarius.

Die XI. Martii.

BB. SEPTEM FUNDATORUM

Ordinis Servorum B. M. V. dupl.

AD VESPERAS.

Capitulum. *Ad Hebr.* 13. 7.

Fratres, mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

Hymnus.

Festivis resonent cantica plausibus,
Et quam Virgo Parens provida destinat.
Illustrem sobolem, lumine ut impleat,
Orbem, laudibus efferant.
Hi sunt, qui patriae sedis honoribus,
Calcatis, superant ardua montium,
Ut myrrhae lacrymas, atque animo ferant
Moestam thuris imaginem.
Hos atris decorat vestibus inclyta
Virgo, ut quam subiit, perniciem fleant,

Cum Nati ingemuit tristia funera
Crucis proxima stipiti.
Servorum titulo signat ab aethere
Coelestis Genitrix, et nova germina,
In partem sociat luctus, et imperat,
Caetum hinc surgere perpetem:
Regis qui superum volvere jugiter
Curet supplicium, saevaque praedicet,
Quae in templo Simeon mente prophetica
Matris vulnera noverat.
Acclini Dominum Te prece poscimus
Sanctorum resera compita gressibus
Signata, et paribus nos quoque praebeas
Ad Te pergere viribus. Amen.

℣. Orate pro nobis, Septem beati Patres,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat. Antiphona.

Isti sunt Viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt. Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.

Oratio.

Deus, qui ad recolendam memoriam dolorum Sanctissimae tuae Genitricis per Septem beatos Patres nova Servorum ejus familia Ecclesiam tuam foecundasti: concede propitius, ita nos eorum consociari fletibus, ut perfruamur et gaudiis. Qui vivis, et regnas.

Deinde fit commemor. S. Scholasticae Virginis, ut in Breviario, et Feriae, si celebr. in Quadrag.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Mirabilem Dominum in Servis Deiparae, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

Praeclara septem lumina
Tusci micantis Ætheris,
Vos Virgo Mater excitat,

Ut luce mundus splendeat.
Vos labra lacte perlita
Servos Mariae nominant :
Tum Virgo vos Senarios
Adire colles imperat.
Vos ipsa Mater inclyta
Funebri pallio induit ;
Ut defleatis vulnera ,
Quae pertulit saevissima.
Hoc ipsa Coeli è culmine
Petro revelat Martyri :
Jubetque coetum perpetem
Hinc posteris constitui :
Quae famulentur jugiter ,
Ipsamque semper diligant ,
Colant : propagent , praedicent
Ejus dolores flebiles.
Quaeso , Duces fortissimi ,
Ad vos sequamur strenue :
Ardor , dolorque fervidus
In virginem nos occupent.
Et tu superna Trinitas ,
Perfunde sancto robore ,
Vitamque sancto robore ,
Vitamque fac non imparem
Nostris Beatis ducere. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. In vertice Montium plantavit Regina Martyrum vineam justorum , qui dolores ejus meditabantur die ac nocte.

Psalmus. Beatus vir , qui non abiit , *cum reliquis , ut in Communi Confessoris non Pontificis.*

Antiph. Domina dixit ad eos , Filii mei estis vos ; exultate , quia ego vos genui.

Antiph. Voce sua ad Dominam clamaverunt , et exaudivit eos de monte sancto suo.

℣. Laetamini in Domino , et exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Lectio I. de Lib. Eccl. Cap. 44.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a saeculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentia sua praediti, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, et imperantes in praesenti populo, et virtute prudentiae populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum.

℟. Laetabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo:* Et florebit quasi lilium.

℣. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda, et laudans. Et florebit.

Lectio II.

Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: et sunt, quorum non est memoria: perierunt, quasi qui non fuerint; et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis.

℟. Saliet, sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: * Quia scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine.

℣. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami, et junci. Quia.

Lectio III.

Sed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona; haereditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum, et filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem, et generationem: sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

℣. Haec est vera fraternitas, quae regnum mundi, et

omnem ornatum saeculi contempsit : * Propter amorem Domini Jesu Christi.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Propter amorem.

Gloria Patri. Propter.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Non diligentes vanitatem, nec requirentes mendacium, omnia saeculi bona abdicaverunt, et a Domino mirificati sunt.

Antiph. In multitudine misericordiae Dominae suae sperantes, introierunt ad templum sanctum ejus.

Antiph. Ex ore infantium, et lactentium, Servos tuos illos dicentium perfecisti, Domina, laudem eorum. Quam admirabile est nomen tuum!

℣. Exultent justi in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in laetitia.

Lectio IV.

Decimo tertio Christiani nominis saeculo, inter alios Florentinos Patritios, septem erant avorum sanguine, opibusque illustres; at virtutibus spectatis suis longe illustriores, nuncupati, ut Religioni nomen dedere, Bonfilius Monaldius, Bonajuncta Manetti, Manettus Antellensis, Amideus de Amideis, Uguccio Uguccionius, Sosteneus de Sosteneis, demum Alexius de Falconeriis. Cum hi trigesimo tertio supra millesimum ac bis centesimum annum auspicatissimo Assumptae Virginis festo, in sodalitio quodam, cui titulus Laudentium erat, Augustissimae Dei Genitrici, prout par erat, laudes exsolverent, ab eadem dulcissime iis apparente, inopine moneri se sentiunt ad sublimioris vitae genus, posthabito Mundo, amplectendum: absolutisque idcirco, quibus dabant operam, laudibus, confestim perciti in unum, collatique mutuo consiliis, superuis Dei vocantis, vocantisque Deiparae oraculis parere mox decreverunt. Quod, et sedulo factum est ab iisdem: nam consulto statim mature Urbis Episcopo, post fortunae abdicatis bonis, erogatisque ample in egenos, ciliciis carni obstrictis, vilioribus, detritisque vestibus cinerei coloris

induti, in ruralem parvam aediculam secesserunt natalitio die amantissimae ipsorum Parentis, ut vitae sanctioris primordia optime inirent, qua die mortalibus orta sacratissimam vitam ipsa inchoaverat.

℟. Omnes isti congregati sunt, venerunt, Domina, tibi: * Et omnibus his velut ornamento vestieris.

℣. Et circumdabis tibi eos, quasi Sponsa. Et omnibus.

Lectio V.

Sic Septem Beati viri, charitatis foedere devincti, eadem in domo semet univerant, cum ecce per Urbem visos, statim, Domino sic disponente, moventeque infantiles voces Deipara ex infantium ore, ac lactentium, ac inter quos tum puer erat Sanctus Philippus Benitius vix quintum mensem ingressus; se Mariae clamari Servos, insperato est auditum. Quanta tunc, et exinde amoris flamma in Dominam suam, cujus (ignaris ipsis) declarati Servi erant, excitati studiis exarserint, non facile est explicatu. Illud solum scitur, quod sic ei se dediderunt, ut veluti Matrem suam venerari, maximoque honore habere, morem ei gerere in omnibus, et obtemperare propter eam cunctis, summopere studuerint Hinc etiam adeo jucundi, gratique ei fuere; ut cum vitaturi populi plausum in Senarium Montem ab ipsa iis praeostensum habitaturi tetenderint, ibique Crucifixum Jesum, moestissimamque Matrem dolentes assidue recolerent, apparuit illa eis, habituque lugubri assignato in memoriam Dolorum suorum, ut compaterentur istis, eos consecravit.

℟. Vocabo Servos meos, et induam illos tunica mea, et cingulo meo confortabo eos: * Et potestatem meam dabo in manibus eorum.

℣. Et erunt, quasi Patres, habitantibus Jerusalem — Et potestatem meam.

Lectio VI.

Ita cinericiis vestibus; indulgente etiam Episcopo, in nigras mutatis, post nonnullos annos, fortunatis quidem auspiciis, clarissimum illud Praedicatorum Ordinis decus Sanctus Petrus Martyr Florentiam accessit; et, audita, inspectaque simul non fucata Sanctimonia ipsorum, ita Dei amici coeperunt se mutuo diligere, ut familiarissime versarentur

invicem secum, seseque alterne foverent. Inter caetera porro illud accidit, quod sperante inclyto Martyre honorem Deo non modicum, magnum Terris commodum proditum iri, si, propitia Virgine, longe lateque propagarentur, una cum ipsis impense eam exorante, ut argumento aliquo voluntatem suam pateficeret; invocata Virgo amans in visione ei revelavit, se Viros illos Septem, et qui venturi erant post eos, inter mundi homines omnes ad singulare servitium suum selegisse, et commiserandis poenis jam latis suis amarissimis construendum Ordinem esse ad sui honorem, et gloriam. Hoc prodigioso Virgineo decreto animati humillimi Patres, non quia suae mentis fuisset successores posteros gignere, sed ut jussa reserata facerent supremae eorum Reginae, quae nomine suo duraturam sibi familiam fundari voluerat, instituere deinceps Sacrum Servorum Ordinem decreverunt; non tam ut primi ejus Fundatores, quam ut Coelestis suae Fundatricis Ministri obsequentes; quos proinde Dominus, ut Servos bonos, et fideles suos, ac Matris, in vita multis virtutibus, in morte multis prodigiis, post transitum multis miraculis adornavit: novissime vero Benedictus decimustertius, ejus Instituti Professor, cujus Sanctus Petrus erat, ejus quoque in eos haeres amoris, Pontifex renunciatus, eorum miram Institutionem, ut inclaresceret Orbi, lectionibus his recenseri, peramanter consuluit, ac mandavit.

℟. Vidi conjunctos viros habentes lugubres vestes, et Angelus Domini locutus est ad me, dicens; * Isti sunt viri sancti facti amici Dei.

℣. Vidi Angelum Dei fortem volantem per medium Coelum, voce magna clamantem, et dicentem. Isti.

Gloria Patri. Isti.

IN III. NOCTURNO.

Antiphona. Ingredientes sine macula, et operantes justitiam; habitaverunt in tabernaculo tuo, et requieverunt in monte sancto tuo.

Antiphona. Gloriam et magnum decorem imposuisti super eos, Regina Martyrum, cum in memoriam dolorum tuorum lugubrem vestem eos induisti.

Antiphona Haec fuit generatio quaerentium Dominam, quaerentium Stellam ex Jacob: Te laudamus, Rex gloriae.

℣. Justi autem in perpetuum vivent:
℟. Et apud Dominum est merces eorum
Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 12.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex: Quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. Cap. 54. in Luc. 12.

PUsillum gregem electorum, vel ob comparationem majoris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem nominant· quia videlicet Ecclesiam suam quantalibet numerositate jam dilatatam tamen usque ad finem mundi humilitate vult crescere, et ad promissum Regnum humilitate pervenire. Ideoque ejus labores blande consolatus, quam Regnum Dei tantum quaerere praecipit, eidem regnum a Patre dandum complacita benignitate promittit.

℟. Dabitur lugentibus Sion corona pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris: * Et vocabuntur fortes justitiae, plantatio Domini ad glorificandum.

℣. Sacerdotes Domini vocabuntur Ministri Dei nostri. Et vocabuntur.

Lectio VIII.

Vendite, quae possidetis, et date eleemosynam. Nolite, inquit, timere, ne propter Regnum Dei militantibus, hujus vitae necessaria desint, quin etiam possessa propter eleemosynam vendite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Domino suis omnibus spretis, nihilominus post haec labore manuum, unde et victum transigere, et eleemosynam dare queat, operatur. Unde gloriatur Apostolus, dicens; Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi: ipsi scitis, quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.

℟. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: * Et flores mei fructus honoris, et honestatis.

℣. Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. Et flores.

Gloria Patri. Et flores.

Lectio IX.

FAcite vobis sacculos, qui non veterascunt: eleemosynas operando, quarum merces in aeternum maneat. Ubi non hoc praeceptum esse putandum est, ut nil pecuniae reservetur a Sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum usibus suggerendae; cum et ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur; et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus, tribuens, sed ne Deo propter ista serviatur, et ob inopiae timorem justitia deseratur.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

et per Horas.

Ant. Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.

Psalmus. Dominus regnavit, *cum reliquis de Laudibus Dominicae.*

Antiphona. Isti sunt Viri Septem boni testimonii, pleni Spiritu sancto, et sapientia.

Antiphona. Apparuit eis Domina Angelorum, et dilexit eos in visione, et agnitione magnalium suorum.

Antiphona. Beati Viri tui, Regina omnium: beati Servi tui, qui stant coram te semper.

Antiphona. Laudem dicite Deo nostro, omnes Servi ejus, et qui timetis eum pusilli, et magni.

Capitulum. *Ad Hebr.* 13. 7.

FRatres, mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

HYMNUS.

Matris sub Almae Numine
Septena Proles Nascitur:
Ipsa vocante ad asperum
Senarii tendit verticem.
Quos terra fructus proferet,
Dum Sacra Proles germinat,
Uvis repente turgidis
Onusta vitis edocet.
Virtute claros nobili
Mors sancta Coelo consecrat:
Tenentque Olympi limina
Servi fideles Virgini:
O gens beata, respice
Regno potita Numinis,
Quos hinc recedens tartari
A fraude cinctos deseris.
Ergo per Almae vulnera
Matris rogamus supplices,
Mentis tenebras amove,
Cordisque fluctus comprime.
Et tu, Superna Trinitas,
Perfunde sancto robore:
Vitamque fac non imparem
Nostris Beatis ducere. Amen.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.
℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Fecit misericordiam Dominus cum Patribus nostris: erexit nobis cornu salutis in domo suae Genitricis. Serviamus illi.

Oratio.

Deus, qui ad recolendam memoriam Dolorum Sanctissimae tuae Genitricis per septem beatos Patres nova Servorum ejus Familia Ecclesiam tuam fecundasti: concede propitius, ita nos eorum consociari fletibus, ut perfruamur et gaudiis. Qui vivis, et regnas.

Ad Tertiam.

Cap. Fratres, Memontote, *ut supra.*
℟. *br.* Laetamini in Domino, * Et exultate justi: Laetamini.

℣. Et gloriamini omnes recti corde. Ex exultate.
Gloria Patri. Laetamini.
℣. Exultent justi in conspectu Dei.
℟. Et delectentur in laetitia.

Ad Sextam.

Capitulum. *Eccli 44.*

OMnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus.
℟. *br.* Exultent justi, * in conspectu Dei. Exultent.
℣. Et delectentur in laetitia. In.
Gloria Patri. Exultent.
℣. Justi autem in perpetuum vivent:
℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Nonam.

Capitulum. *Eccl. 44.*

Filii eorum propter illos usque in aeternum manent. Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.
℟. *br.* Justi autem, * in perpetuum vivent: Justi.
℣. Et apud Dominum est merces eorum. In perpetuum.
Gloria Patri. Justi.
℣. Exultabunt Sancti in gloria.
℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

Ad Vesperas

Antiphona. Sapientia. *cum rel. ut supra in Laud. Psalm.* Dixit Dominus. *cum reliq. de Dominica: et loco ult. Ps.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Cap. Hymn. et ℣. ut in 1. Vesp.

Antiphona. O magnum charitatis opus! Regina generis humani, primis nostris Patribus mire apparens, ex mundo eos evocare, singulariter sibi religere, lugubrem vestem induere, unaque cum posteris in peculiares servos, ac filios consecrare dignata est. Te, Mater dulcissima, et Domina, laudamus, benedicimus, glorificamus.

*

Die XXXI. Martii.

S. BALBINÆ V. ET M. *Sem.*

Omnia de Comm. Virg. praeter sequ.

Orat. Exaudi nos Deus, etc. *Si venerit post Pascha lect. 1. noct. de Script.; in Quadrag. de Virginib.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Balbina Virgo Romana, Quirino Patre, Tribuno Militum, sub Hadriano Imperatore nata est, quae cum incurabili laboraret aegritudine, ab Alexandro hujus nominis primo, Christi Vicario, simul et Pugile, solo catenae contactu, qua fortissimus Athleta, jussu Praesidis Aureliani, pro Christi fide, vinctus tenebatur, temporis momento, coram Parente, per insigne miraculum, ita curata est, ut ne vestigia quidem prioris morbi restarent. Tu autem etc.

℟. Propter veritatem, etc.

Lectio V.

Sed gemina gratia fuit; nam corporis salus salutem animae peperit. Viso enim miraculo, Virgo fortunatissima cum Patre Quirino Christo nomen dedit, et sacro regenerationis lavacro tincta est. Felix catenae contactus eam Christo devinxit, et in libertatem filiorum Dei vindicavit. Sanctissima catena Martyris, pretiosus torques Virgini fuit, qui strumas a collo, et Diaboli jugum abegit ab animo.

℟. Dilexisti justitiam, etc.

Lectio VI.

Quirinus demum brevi martyrio coronatus migravit in Coelum. Balbina longioris martyrii genere defuncta, longo innocentissimae vitae cursu peracto migravit ad Dominum. Pater cum sanguine vitam profudit; filia in lacrymis, et sudore: inter sacras mortuorum exuvias, in coemeteriis conditas, mortem quaesivit, ibique orationi, et piis exercitatio-

nibus intenta, religiosissimam vitam agens, non ipsa martyrio, sed ipsi martyrium defuit. Domum paternam, in novum coemeterium convertendam, Ecclesiae reliquit, quo deinde sacrum illius corpus, ex coemeterio Praetextati translatum est.

℟. Afferentur Regi virgines, etc.

IN III. NOCTURNO.

Lect. de Homilia S. Gregorii Papae. In Evang. Simile est regnum Cœlorum decem Virginibus etc. *ut in comm. Virg.*

Die XXVII. Aprilis.

IN FESTO

S. PEREGRINI LATIOSI C. *Dupl.*

Pro Dominio Veneto, et alibi. Omnia de Comm. Confess. non Pontificis, praeter sequent.

Oratio.

DEus, qui beato Peregrino Angelum comitem, Magistram Deiparam, Jesum tetri ulceris medicum mire dedisti, da, per merita ipsius, obsecramus, ut sanctum Angelum, Virginem, Salvatorem singulariter et amemus in terris, et collaudemus in cœlis. Per eumdem Dom.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.
In II. Nocturno Lectio IV.

PEregrinus Forolivii ex Nobili Latiosorum familia ortus, sanctissimae Virginis Deiparae devotus, quadam die in Ecclesia Cathedrali ante illius Imaginem diutius orans, et petens, ut vias suas dirigeret, eam pretiosis vestibus indutam, sibi, ut ad servos suos se conferret, praecipientem audivit: Quare adolescens Angelo Comite Senas profectus, Priori, Servorum visionem, mandatumque Virginis exposuit, ac recipi humiliter postulavit. In receptione splendore quodam cœlesti, quo futura sanctitas ejus praemonstrabatur, Caput

illius circumfulsit. Triginta annos natus, Forolivium remissus est, ubi diu laboribus, vigiliis, jejuniis, orationibus exercitam vitam duxit. Numquam (mirandum) per annos triginta sedere visus, at si quando somno, aut lassitudine victus stare non posset, saxo pro sede utebatur. Numquam in lecto, neque infirmus decubuit, noctes fere omnes insomnes in orationibus, et piis meditationibus ducere solitus Nulla die conscientiae examine, et sacramentali confessione praetermissis, peccata lacrymis etiam exterioribus deflebat.

℟. Honestum fecit. XLIV.

Lectio V.

ADmirabili fuit patientia. Nam cum Crus ex cancri morbo intumuisset, atque putredine adeo esset infectum, ut foetorem omnibus inferret, sic tamen absque omni quaerimonia semper fuit, ut cives illum alterum Job appellarent. Cum autem Crus illud medicorum consilio amputandum esset, Peregrinus nocte praecedente, solus ex loco, in quo jacebat, surgens, et reptans, ut poterat, in Capitulum venit, ibique ante Crucifixi imaginem (quae adhuc manet, et magnam habet apud Forolivienses venerationem) vehementius orans, et obdormiscens, Christum de Cruce descendentem, et Crus tangentem vidit. Expergefactus, ita Crus sanatum sensit ac si numquam tumidum, ulceratum, putridumque fuisset. Medici vero mane, ut Crus secarent, advenientes, cum illud sanum vidissent, stupore affecti, domum, tanto miraculo per urbem divulgato, regressi sunt.

℟. Amavit eum. XLIV.

Lectio VI.

PÆregrinus piis laboribus, ac ætate confectus (erat enim octogenarius, brevi febre correptus Kalendis Maji anno salutis millesimo quadragesimoquinto migravit ad Christum. Ejus animam beato Philippo Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, qui, ut ipse Religionem ingrederetur, dux fuerat, et beato Francisco Senensi ejusdem Ordinis comitantibus, a Virginibus in Cœlum deferri visam, memoriæ proditum est. Multa post mortem miracula sanctitatem ipsius declararunt. In quibus caecus Peregrino manum ex feretro oculis illius

admovente lumen recepit. Mulier etiam multis obsessa daemonibus ad sacrum corpus ipsius perducta, liberata est. Quidam ex arbore procera in terram delapsus, Peregrini nomine invocato, sine ulla laesione repertus fuit. Ad cujus tumulum Kalendis Maji non tantum Civitas Foroliviensis, sed finitimi populi quotannis ad illum venerandum confluere, votaque ei nnncupare solent. Paulus Quintus Summus Pontifex Anno millesimo sexcentesimo nono concessit, ut Officium Divinum in toto Servorum Ordine recitari possit. Benedictus vero Decimus tertius anno reparatae salutis millesimo septingentesimo vigesimo sexto inter Sanctos Cælites ritu sollemni recensuit.

℟. Iste homo perfecit. XLV.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium. Nolite timere. *ut in Communi Confess. non Pontificis secundo loco.* XLVIII.

Die XXIII. Aprilis.

IN FESTO

B. ALEXANDRI SAULI E. ET C.

Ex Clericis Regni Congr. S. Pauli. Pro tota Congr. Clericor. Regul. S. Pauli; et pro Dioecesibus Aleriensi, Papiensi, Mediolanensi, Januensi et Pisana, et pro toto Corsicae Regno Omnia de Communi Confess. Pontif. primo loco, praeter ea quae hic habentur propria.

Oratio.

DEus, qui in Ecclesia tua per beatum Alexandum Confessorem, atque Pontificem regulis disciplinae, ac Pastoralis sollicitudinis exempla instaurare dignatus es, fac nos quaesumus, ita ejus inhaerere vestigiis: ut ad animae salutem jugiter intenti, gaudia cum ipso assequamur aeterna. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO *Lectio IV.*

ALexander Dominico Saulio, et Thomasina Spinula Genuensibus Patriciis Mediolani natus ab ineunte aetate orandi studio, jejuniis, et singulari cultu in Deiparam, cui etiam castitatem devoverat, non obscura praebuit sanctitatis indicia. Adolescens delata in forum Cruce, Circulatore ejecto, de contemptu Mundi coram stupente populo gravissime disseruit. Quo experimento in Congregationem Clericorum Regularium sancti Pauli admissus, brevi virtutum omnium splendore emicuit, devotione praesertim erga Eucharistiam, quam sumens ad deliquium usque accendebatur. Sacerdotio insignitus Theologicis studiis praeficitur, quorum subsidio ad animarum salutem se totum convertens, pia sodalitia instituit, sacramentorum frequentiam invexit, Verbique divini ministerium ita exercuit, ut eximii Ecclesiae praesules ab eo pastorale dicendi genus hausisse palam asseruerint. Universae Congregationi praepositus eamdem rexit prudentia, et religione mirabili, qua commoti plures clarissimi Viri ab ipso ad pietatem informari voluere. Hos inter beatus Carolus se duce perfectionis semitam ingressum profitebatur, quum ejus consilio, et opera in Ecclesia Mediolanensi regenda simul uteretur.

℟. Inveni David. XXXV.

Lectio V.

EPiscopatu Aleriensi ex obedientia suscepto, gregis mores catechesi, concionibus, synodis, locorum omnium difficillima visitatione ad labores pene solus emendavit. Vetustissimis restinctis odiis, pacis studiose crebrò-dimicantium armis injecit. Sacerdotum licentiae restitit, inscitiae consuluit, et Clericos ipse pietate, ac litteris imbuit. Caeterum pristini Instituti custos religiosissimus, in victu parcus, in ornatu vulgaris, ecclesiasticorum proventuum fidelis administer cathedralem Eclesiam, et Episcopium cum Seminario a fundamentis excitavit. Praecipua tamen ejus cura fuit in pauperes, quae tum maxime claruit, quum octingentos nautae è manibus piratarum elapsos una die hospitio excepit, et commeatu providit. Neque redditus tantum, sed vitam ipsam pro grege dare paratus grassante peste, publicis supplicatio-

nibus, nudis, et cruentatis pedibus interesse, aegrotos invisere, eisque spiritualem, et corporalem alimoniam, ministrare non est veritus; Pauperum inde Pater, et Corsicae Apostolus passim nuncupatus.

℟. Posui adjutorium. XXXV.

Lectio VI.

Doctrinae, de dicendi facultate ita praestitit, ut extemporali sermone plures Hebraeos ad Christum converterit. Altissimae contemplationis donum assecutus, radiante vultu saepe rapiebatur in Deum, et Angelorum concentu recreabatur. Tanta fuit ejus fides, ut precum, quibus vigintiquatuor interdum continentes horas dabat, praesidio, tempestates sedaverit, Turcarum Classem everterit, multosque sanitati restituerit. His praeclare gestis magnus, patientia major, et humilitate, publica convicia sustinuit, et lapide ictus in faciem apud Insulae Praesidem veniam percussori impetravit. Demum a Gregorio Decimoquarto motu proprio ceu Angelus Ticinensibus datus, anno, ut praedixerat, ab ingressu illius Urbis nondum expleto, dum Dioecesis fines viseret, vitae asperitate, ac laboribus fractus, caelesti visione confortaturus, Calatii pie obiit, unde corpus suaviter olens Papiam translatum, in majori Ecclesia honorifice conditum fuit. Illum vero virtutibus, ac signis illustrem Benedictus Decimus quartus in Beatorum numerum retulit.

℟. Iste est, qui ante Deum. XXXV.

Reliqua de Communi Confess. Pontificis primo loco.

Die XXIII. Aprilis.

IN FESTO

S. GEORGII M. *Semid.*

Omnia de Comm. Martyr. temporis Pasch. praeter seq.

Oratio.

Deus, qui nos beati Georgii martyris tui meritis et intercessione laetificas, concede propitius; ut qui tuas per eum

beneficia poscimus, dono tuae gratiae consequamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. SS. Soteris, et Caji: Antiph. Sancti et justi in Domino gaudete, alleluja: vos elegit Deus in haereditatem sibi, alleluja.

℣. Pretiosa in conspectu Domini, alleluja.

℟. Mors sanctorum ejus, alleluja.

Oratio.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectiones ex Epistola Sancti Cypriani. Quibus ego vos laudibus. XXIII.

Et in III. Nocturno Homilia in Evang. Ego sum vitis vera *de Communi Mart. temp. Pasch.* XXII.

DIE XXIV. APRILIS.

IN FESTO

S. BONI LATRONIS.

Duplex.

AD VESPERAS.

Ant. Latro Christum crucifixum, *cum reliquis de Laudibus.*

Psalm. Dixit Dominus *cum reliquis de Dominica, loco ultimi Psal.* Laudate Dominum, omnes gentes.

Capitulum. Isai. 59.

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

Hymnus.

Jesu corona celsior,
Et veritas sublimior;
Qui confitenti servulo
Reddis perenne praemium.
Da supplicanti coetui.
Hujus rogatu noxii
Remissionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi.
Anni reverso tempore,
Dies refulsit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Migravit inter sidera.
Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium;
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit, eum, alleluja.
℟. Stola gloriae induit eum, alleluja.

Ad Magnificat. Ant.

Ait Latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum, alleluja, alleluja.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui justificas impios, te supplices exoramus, ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus tuus Beatum traxit Latronem, ad dignam poenitentiam provoces; et illam, quam ei promisit, tribuas nobis gloriam sempiternam. Qui tecum vivit.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Christum Regem crucifixum, qui Latroni in cruce Paradisum donat, * Venite adoremus, alleluja.

Psalmus. Venite exultemus.

Hymn. Jesu corona celsior, *ut supra.*

IN I. NOCURNO,

Ant. Beatus iste Sanctus, qui confisus est in Domino, et exauditus est de monte sancto ejus, allel.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, allel.

℟. Stolam gloriae induit eum, allel.

Lectiones dicuntur de Scriptura occurr.

℟. 1. Posui adjutorium super potentem: * Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum, alleluja.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei — Manus enim.

℟. 2. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia, et exoravit Altissimum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluja.

℣. Iste inventus est in numero Sanctorum. Ipse intercedat.

℟. 3. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stola gloriae induit eum, * Et ad portas Paradisi coronavit eum, alleluja.

℟. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. Et ad portas Paradisi.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Invocantem exaudivit Dominus Sanctum suum: Dominus exaudivit eum, et constituit eum in pace, alleluja.

Psalmi Nocturnorum, ut in comm. Conf. non Pont.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum, alleluja.

℟. Et ad portas Paradisi coronavit eum, allel.

Lectio V.

Sermo Sancti Joannis Chrysost.

Homil. 2. de Cruce, et Latrone. t. 3.

Scio et ante me dixisse de Latrone, sed habet diversas intelligentias Dei sermo. Iste Latro de ligno mercatur salutem: hic latro furatur Caeleste imperium. Vim facit majestati, non virtute propria, sed fide vincens. Ipsius Domini vox est: Regnum coelorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. In cruce duo latrones imago Jadaeorum, et Gentilium; Latro qui poenitet, imaginem obtinet populi ex Gentibus congregati, qui prius in errore ambulaverat, et post hoc veritatem agnovit. Imaginem vero latro ille obtinet Judaeorum qui usque in finem perseverat latro. Et usque ad tempus quidem crucis viam maliguitatis ierunt: crux autem divisit utrumque.

℟. Velum templi scissum est, * Et omnis terra tremuit: Latro clamabat de cruce, dicens: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, alleluja.

℣. Petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorûm, qui dormierant, surrexerunt — Et omnis.

Lectio V.

Viam namque caecitatis, et perditionis, qui non credidit, ingressus est: viam autem salutis, qui credidit ingressus est: viam salutis, qui credidit adeptus est. In cruce didicit Latro differentiam viarum, quoniam novit Dominus viam justorum: via autem impiorum peribit. Et vide Dei justum judicium, ut dicas et tu cum Propheta: Justus es Domine; et rectum judicium tuum. Propter unum peccatum damnatur Adam, et propter unam fidei vocem Latro salvatur. Unum peccatum ejecit illum; et una justitia introduxit istum; et Latro habitator factus est Paradisi. O admiranda rerum materies! Nec Abrahae data est per vocem promissio Paradisi. Haereditatur quidem per fidem; repromissionem autem paradiso nemo antè Latronem accepit.

℟. Nemo repromissionem paradisi ante Latronem accepit,

cui Dominus in cruce dixit: * Hodie mecum eris in paradiso, alleluja, alleluja.

℣. Domine memento mei; cum veneris in regnum tuum — Hodie.

Lectio VI.

Iste ergo vidit Salvatorem, non super throno regali, non adorari in templo, non loquentem de coelis, non per Angelos disponentem; sed in poena sociatum latroni: videt in tormentis, et tamquam in gloria adorat: videt in cruce, et rogat quasi in caelis sedentem: videt condemnatum et Regem invocat, dicens: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum: Crucifixum vides, et Regem praedicas? in ligno pendere cernis, et coelorum regna meditaris? O admiranda Latronis conversio!

℟. O admiranda Latronis conversio! * Crucifixum videt, et Regem praedicat, alleluja.

℣. In ligno pendentem cernit, et coelorum regna meditatur — Crucifixum — Gloria — Crucifixum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo, alleluja.

℣. Hic accipiet benedictionem a Domino, Allel.

℟. Et misericordiam a Deo salutari suo, allel.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 23.

In illo tempore; Unus de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat Dominum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. *Et reliqua.*

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi.

Serm. 49. de S. Latrone.

Quoniam hodie Evangelii Lectio de Latrone fecit mentionem, videamus quis iste Latro sit, qui in cruce Domino

constituto, non solum peccatorum suorum veniam consequitur, sed etiam paradisi amoenitate donatur: ut qui propter fidem transferretur ad gloriam: fueritque illi crux quam pertulit, non tam supplicii damnatio, quam salutis occasio. In cruce enim positus, Christum Dominum nostrum credidit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis utitur, consortio paradisi condonatur. Beatus enim Latro, dum supplicium patitur, regnum caeleste consequitur. Ecce reus dicitur, sicut cui damnari illud tempus expetivit. Non enim perveniret ad gloriam si non contraditus esset ad poenam. Videamus, inquam, cur tautorum criminum reus, tam cito a Salvatore paradisum promeretur, cum alii multorum temporum lacrymis, frequentibusque jejuniis, vix delictorum suorum veniam consequantur.

℟. Iste est beatus Latro, qui in cruce positus, Christum Dominum nostrum credidit crucifixum: * Et dum supplicium patitur, regnum coeleste consequitur, alleluja.

℣. Quem Judas Iscariotes in hortulo paradisi distraxerat, iste in patibulo confitetur — Et dum.

Lectio VIII.

Magna, fratres, et multiplex causa est. Primum, quod iste Latro devotione fidei tam repente mutatus est, ut praesentem poenam despiceret, ac de futura veniam precaretur: et magis crederet utile sibi esse de aeterno judicio petere, quam de temporali supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum, et poenitudinem gerens, plus incipit dolere quod sperat, quam sentire quod patitur. Potuit enim, nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de praesenti magis supplicio deprecari. Deinde illud ad gratiam ejus majoris est meriti, quod in Christum in cruce positum credidit, et passio, quae aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit Crucis enim passio multis scandalum fuit, sicut dicit Apostolus: Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Recte ergo meretur paradisum, qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem: dicit enim idem Apostolus: Ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis; Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.

℟. Iste est, qui crucem Christi non putavit esse scanda-

lum, sed virtutem; ideoque paradisum meretur: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluja.

℣. Iste est qui honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem — Ipse intercedat — Gloria Patri — Ipse intercedat.

Lectio IX.

Recte plane, et Dominus huic donat paradisum, quia quem Judas Iscariotes in hortulo paradisi distraxerat, hic in patibulo confitetur. Mira res! confitetur Latro, quem discipulus abnegavit. Mira, inquam, res! Latro honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera praedicantur. Ait enim: Memento mei Domine, cum veneris in regno tuo. Haec est fidei plena devotio, ut cum vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, de potestate ejus venia postuletur. Cum videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus divinitas: cum morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur. Iste enim fidelis Latro non credidit moriturum, quem annuntiat regnaturum: non putat subdendum inferis, quem dominaturum confitetur in cœlo: non arbitratur eum apud tartarum detineri, a quo se etiam postulat liberari. Cernat licet ejus hiantia vulnera, speciet ipsius sanguinem profluentem; Deum tamen credit, quem reum nescit: justum fatetur, quem non meminit peccatorem.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas. Ant.

Latro Christum crucifixum videbat, et Regem invocabat, dicens: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum, alleluja.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dom.*

Ant. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, alleluja.

Antiph. Cum conturbata fuerit anima mea, Domine, misericordiae memor eris, alleluja, alleluja.

Ant. Salvum me fecit Christus Redemptor; quia dixit: Hodie mecum eris in paradiso, alleluja, alleluja, alleluja.

Ant. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa; ecce qualis a cruce recedit ex gratia, alleluja, alleluja, alleluja.

Capitulum. *Isai. 59.*

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat: neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

Hymnus.

Jesu redemptor omnium,
Corona confitentium.
In hac die clementius
Indulgeas precantibus.
Tui sacri qua nominis
Confessus almus claruit
Hujus celebrat annua
Devota plebs solemnia.
Hujus benignus annue
Confessionem nos sequi:
Hujus precatu servulis
Dimitte noxam criminis.
Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium;
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei Domine, alleluja.
℟. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum, alleluja.

Ad Benedictus. Antiphona.

Ait latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum, alleluja, alleluja.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui justificas impios; te supplices exoramus, ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus

tuus beatum traxit Latronem, ad dignam poenitentiam provoces; et illam, quam ei promisit, tribuas nobis gloriam sempiternam. Qui tecum vivit, et regnat.

Ad Tertiam.

Antiph. Qui me confessus.

Capitulum. Ecce non est abbreviata, *ut supra.*

℟. *br.* Amavit eum Dominus, et ornavit eum, alleluja, alleluja — Amavit.

℣. Stolam gloriae induit eum, * alleluja, alleluja — Gloria Patri — Amavit.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum, alleluja.

℟. Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluja.

Ad Sextam.

Antiph. Cum conturbata fuerit.

Capitulum. *Isai.* 58. *c.*

Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum.

℟. *br.* Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum, * Alleluja, alleluja — Induit eum.

℣. Et ad portas paradisi coronavit eum — Alleluja, alleluja — Gloria Patri — Induit eum Dominus.

℣. Hic accipiet benedictionem a Domino, alleluja.

℟. Et misericordiam a Deo salutari suo, alleluja.

Ad Nonam.

Antiph. Ille, qui talis.

Capitulum. *Isai.* 36. *d.*

Tu autem, Domine, eruisti animam meam, ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

℟. *br.* Hic accipiet benedictionem a Domino, * Alleluja, alleluja — Hic accipiet.

℣. Et misericordiam a Deo salutari suo. Alleluja, Alleluja — Gloria Patri — Hic accipiet.

℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei Domine, Alleluja.

℣. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum, Alleluja.

Vesperae de Sancto Marco Evangelista, cum commemoratione Sancti Boni Latronis.

Quod si contingat Festum Sancti Marci alio die celebrari, in secundis Vesperis Sancti Boni Latronis omnia dicuntur, ut in primis.

Ad Magnificat. Antiphona.

Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, Alleluja, Alleluja.

Addenda, et notanda de Festo S. Boni Latronis, *si incidat extra Temp. Paschale Offic. fit dupl. maj. ut ex lib. Pii P. VI.*

Hymnus.

1. Vesp., omissis Anni reverso tempore, *et seq. concluditur sic:*

Patri perennis gloria,
Natoque Patris Unico,
Sanctoque sit Paraclito
Per omne semper saeculum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, et exauditus est de monte sancto ejus.

Psalmi omnium trium Noct. de Comm. Conf. non Pont.

Ant. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus praedicans praeceptum ejus.

Ant. 3. Tu es gloria mea: tu es susceptor meus, Domine; tu exaltans caput meum, et exaudisti me de monte sancto tuo.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stola gloriae induit eum.

Lectio I.

De Isaia Propheta.

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat; sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum: et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate. Labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur.

℟. Posui adjutorium super potentem: * Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim mea.

Lectio II.

Non est, qui invocet justitiam; neque est, qui judicet vere; sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates; conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, et telas araneae texuerunt: qui comederit de ovis eorum, moriatur, et quod confotum est, erumpet in regulum. Telae eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum.

℟. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia, et exoravit Altissimum, * ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste inventus est in numero sanctorum. Ipse intercedat.

Lectio III.

Pedes eorum ad malum currunt, et festinant, ut effundant sanguinem innocentem, cogitationes eorum cogitationes inutiles. Vastitas, et contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt, et non est judicium in gressibus eorum: semitae eorum incurvatae sunt eis: omnis, qui calcat in eis, ignorat pacem. Propter hoc elongatum est judicium a nobis, et non apprehendet nos justitia; expectavimus lucem, et ecce tenebrae; splendorem, et in tenebris ambulavimus.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stola gloriae

induit eum, et ad portas Paradisi coravit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas Paradisi. Gloria Patri. Et ad portas Paradisi.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Innocentem exaudivit Dominus sanctum suum: Dominus exaudivit eum in pace.

Ant. 2. Laetentur omnes, qui sperant in te, Domine: quoniam tu benedixisti justo: Scuto bonae voluntatis tuae coronasti eum.

Ant. 3. Domine Domiuus noster, quam admirabile est nomen tuum in univerra terra; quia gloria, et honore coronasti sanctum tuum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

℣. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum.

℣. Et ad portas Paradisi coronavit eum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Domine iste Sanctus habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

Ant. 2. Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine: gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Ant. 3. quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?

℣. Hic accipiet benedictionem a Domino.

℟. Et misericordiam a Deo salutari suo.

In fine Hymn. ad Laud. omissis ut sis perenne mentibus, et seq. conclud. sic:

Sit Christe Rex piissime,
Tibi Patrique gloria
Cum Spiritu Paraclito
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

Missa propria de S. Bono Latrone.

E Lecto usque ab Anno 1716. a Patribus Congregationis Pior. Operarior. S. Bono Latrone in Patronum Prin-

cipalem ejusdem Congregationis, ex parte ipsorum PP. supplicatum fuit S. R. C. pro extensione illius Officii proprii a Xisto PP. V. usque ab Anno 1587. adprobati, ac universo Ordini B. M. de Mercede concessi; et S. R. C. ad relationem Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Zonadarii extensionem Officii proprii, et Missae sub nomine S. Boni Latronis ad formam concessionis praedicto Ordini B. Mariae de Mercede factae pro die 24. Aprilis in posterum ad universam praefatam Congregationem posse concedi censuit, si SS. Domino visum fuisset. Die 23. Septembris 1724.

Facta deinde de praedictis per N. M. Tedeschi Archiep. Apamenum S. R. C. Secretarium SS. Domino relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 25. ejusdem mensis et anni 1724.

Cum in hunc diem 24. Aprilis incidat Festum S. Fidelis a Sigmaringa Protom. transferatur in diem 28. ejusdem Mensis ob Officium peculiare S. Boni Latronis.

Die XXVI. Aprilis.

B. M. V. DE BONO CONSILIO

dupl. maj.

Omnia, ut in Officio S. Mariae ad Nives sub ritu Pasch. praeter ea, quae sequuntur.

Ant. ad Magnificat.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto faemineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuae Sanctae Imaginis Apparitionem.

Oratio.

Bonorum omnium largitor Deus, qui Genitricis dilecti Filii tui speciosam imaginem mira Apparitione clarificare voluisti: concede quaesumus, ut ejusdem B. M. Virginis in-

tercessione ad Coelestem patriam feliciter perducamur. Per eumdem Dominum etc.

Ad Matutinum.

Sancta Maria Dei Genitrix Virgo, * intercede pro nobis.
Psalm. Venite exultemus.

Hymnus.

Plaude festivo, pia gens, honore,
Dum genestani veneraris Ædem,
Qua Dei Magnae Genitricis alma
Splendet Imago.
Haec ubi mira specie repente
Obtulit sese populis videndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.
Ipsa tunc aegris aderat, molestos
Corporis morbos, animique pellens,
Longe aerumnas Latio imminentes
Ipsa fugabat.
Virgo, quae magnis decorata signis,
Nunc quoque effulges, miseris juvamen
Affer, et fusis petiens clientum
Annue votis.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super Coeli solio coruscans
Totius Mundi seriem gubernat.
Trinus et Unus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

De Lib. Proverbiorum *Cap.* 2. 10.

Lectio I.

Si intraverit Sapientia cor tuum, et scientia animae tuae placuerit, consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a via mala, et ab homine, qui perversa loquitur: qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas; qui laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessi-

mis, quorum viae perversae sunt, et imfames gressus eorum. Tu autem etc.

℟. Sancta et immaculata.

Lectio II.

Fili mi, ne effluant haec ab oculis tuis. Custodi legem, atque consilium, et erit vita animae tuae, et gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis, quiesces, et suavis erit somnus tuus, ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum; Dominus enim in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris.

℟. Congratulamini mihi.

Lectio III.

Ego sapientia habito in Consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum; arrogantiam, et superbiam, et viam pravam et os bilingue detestor. Meum est consilium, et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℟. Beata es Virgo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. IV.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

In Natali S. Joann. Bapt.

Hominem concepit Elisabet, hominem Maria: sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum et hominem. Mira res est, quomodo potuerit concipere Creatura Creatorem. Quid est ergo intelligendum, Fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola Matre, qui fecit primum hominem sine Patre, et Matre? Primus ille noster casus fuit, quando faemina, per quam mortui sumus, in corde concepit venena

serpentis: Persuasit enim serpens peccatum, et admissus est mala suadens. Si primus noster casus fuit, cum faemina concepit corde venena serpentis, non mirandum, quod salus nostra facta est, cum faemina concepit in utero carnem Omnipotentis. Uterque ceciderat sexus; uterque fuerat reparandus. Per mulierem in interitum missi eramus; per mulierem nobis reddita est salus.

℟. Sicut cedrus.

Lectio V.

Sermo S. Fulgentii Episcopi *De laud. Mariae.*

Quoniam diabolus per serpentem Evae locutus, per Evae aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam pertulit Verbum, et cunctis saeculis vitam effudit. Angelus sermonem ejecit, et Christum Virgo concepit. Hoc splendore concipitur Dei Filius; hac munditia generatur. De Coelis medicus transiens per Virginem post transitum suum illaesam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua Matre: quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis potius, quam decrevit, et Virginitas ampliata est potius, quam fugata.

℟. Quae est ista.

Lectio VI.

Maria quam praeclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta: Salutationis Angelicae: benedictionis divinae; et plenitudinis gratiae. Sic enim eam legitur salutasse: Ave Maria, gratia plena, benedicta inter mulieres. Et ut nihil non sublime esset in hac Sanctissima Virgine, quam Angelus gratia plenam salutavit, non sine divino consilio factum est, ut ejus etiam imagines summo essent in honore; et prodigiis, miraculisque clarescerent. Quas inter, tribus abhinc saeculis ea praecipuo honore colitur, quae Paulo II. sedente, mirabiliter apparuisse in pariete Ecclesiae Patrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in Oppido Genestani Praenestinae Dioecesis, ex Pontificiis diplomatibus, et supparibus monumentis comprobatur. Quibus permotus Pius Papa Sextus praefatis ejusdem Oppidi Coenobitis Officium proprium concessit

VII. Kal. Majas, ipso scilicet Apparitionis die, recitandum, ac deinde illud, die, quae immediate subsequitur pro ejus recitatione in posterum assignata, ad universum praedictum Ordinem, ac ad Congregationem SS. Redemptoris sub ritu duplicis majoris extendit.

℣. Ornatam monilibus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum. *Cap.* 1.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. *Et reliqua.*

Homilia S. Thomae Ep. *In Nativ. B. M. V.*

Cogitanti mihi, ac diu haesitanti, quid causae sit, quod cum Evangelistae de Joanne Baptista, et aliis Apostolis tam longum fecere tractatum, de Virgine Maria, quae vita et dignitate omnes antecedit, ita summatim percurrant historiam: Cur, inquam, non traditam est memoriae, quomodo concepta, quomodo nata, quomodo nutrita, quibus moribus decorata, quibus virtutibus ornata, quid cum Filio in humanis egeris, quomodo cum illo conversata sit, quomodo post ejus Ascensionem cum Apostolis vixerit? Magna erant haec, et memoratu digna, et quae summa devotione a fidelibus legerentur, a populis amplecterentur. Quis enim dubitat, quin in ejus nativitate, et pueritia mira multa contigerint, et puella haec in teneris annis stupendum saeculis virtutum omnium monumentum extiterit?

℟. Felix namque es, etc. etc.

Quicumque celebrant tuae Sanctae imaginis Apparitionem.

Lectio VIII.

HÆc mihi haesitanti, cur de actibus Virginis sicut de actibus Pauli, non est compositus liber, nihil aliud occurrit (accusare enim Evangelistas negligentiae, sicut impium, ita et temerarium judico), quam ita placuisse Spiritui San-

cto; ejusque providentia Evangelistas siluisse propterea, quia Virginis gloria, sicut in psalmis legitur, omnis intus erat, et magis cogitari poterat, quam describi, sufficitque ad ejus plenam historiam, quod de illa natus est Jesus. Quid amplius quaeris? Quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei est.

℣. Beatam me dicent.

Lectio IX.

Non eam Spiritus Sanctus litteris descripsit, sed tibi eam animo depingendam reliquit, ut intelligas, nihil illi gratiae, aut perfectionis, aut gloriae, quam animus in pura creatura concipere possit, defuisse; imo reipsa intellectum omnem superasse. Ubi ergo totum erat, pars scribenda non fuit, ne putares, quod scriptum non fuerat, eidem forsitan defuisse. Si ancillas suas, et Ministros domus suae potentissimus Dominus ita mirifice decoravit, ita donis, et gratiis venustavit: qualem, existimas, condidit Matrem suam, unicam Sponsam suam, quam sibi ex omnibus elegit, et prae omnibus adamavit? Omnibus eam Altissimus praeposuit, non solum virgineis, sed etiam Angelicis Choris, quia Mater ejus est, et Matrem Dei decet omnis celsitudo. Quidquid igitur de Virgine scire, aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breviloquio: De qua natus est Jesus. Haec longa, et plenissima historia ejus est.

Te Deum laudamus.

Reliqua ut in Officio S. M. ad Nives.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

De Sepulcro D. N. J. C. *dup. maj.*

Ad Vesperas.

Ant. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est. Alleluja.

Psal. Dixit Dominus *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi.* Laudate Dominum omnes gentes.

Ant. Introibimus in Tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Ant. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus. Alleluja.

Ant. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi Domus Dei, et porta Coeli: Alleluja.

Ant. Ne appropies huc: solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, Terra Sancta est. Alleluja.

Capitulum.

Cum consummassent omnia, quae de ipso scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

Hymnus.

Sacri sepulchri gloriam,
Christi triumphis inditam,
Dulci repleti gaudio,
Laetis canamus vocibus.
Hujus vetustis saeculis
Dedit Cysterna symbolum,
Quo missus olim, carcerem
Joseph habebat innocens.
Hoc primitus in Canticis,
Expressit olim lectulus,
Quem sibi fecit Salomon
Cinctus caterva militum.
Hoc et tuus, Daniel, lacus;
Et quae sopore languidum
Jonam Ratis portaverat,
Hoc in figura nuntiat.
O petra gemmis charior!
Thesaure, cunctis ditior!
Qualem nec aula Principum
Nec gaza claudit divitum.
Nam tu nec auri munera,
Nec principum fluxas opes;
Sed illud immensum Sacri
Pretium tulisti Corporis.
O Christe, ditas qui Tuum
Charo Sepulchrum Sanguine,
Tuos, rogamus, servulos

Donis tuis fac divites.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Tuum Sepulchrum adoramus, Domine, Alleluja.
℟. Et recolimus tuam gloriosam Resurrectionem, Alleluja.

Ad Magnificat.

Deponentes Dominum de Cruce, posuerunt eum in monumento, quod erat excissum in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Alleluja.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subire, et Sepulcro depositus, tertia die resurgere voluisti, concede nobis famulis tuis; ut qui Sepulchri tui memoriam recolimus, resurrectionis quoque gloriae participes esse mereamur. Qui vivis, et regnas.

Surrexit Dominus de Sepulcro * Alleluja. *Psal.* Venite exultemus. *Hymnus*, Sacri Sepulchri etc.

IN I. NOCTURNO.

Ant. En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Alleluja. *Psalmi Nocturnorum, ut in Dedicatione Ecclesiae sub unica Antiphona, cum* Alleluja.

℣. Ipsum Gentes deprecabuntur, Alleluja.
℟. Et erit Sepulchrum ejus gloriosum, Alleluja.

Lectio I.

De Actibus Apostolorum. *Cap.* 13.

Viri Fratres Filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem, et Principes ejus, hunc igno-

rantes, et voces Prophetarum, quae per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quae de ipso scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die, qui visus est per multos dies his, qui simul cum eo ascenderant de Galilaea in Jerusalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

℟. Deponentes Dominum de Cruce, posuerunt eum in monumento, quod erat excissum de petra, Alleluja. * Signantes illud cum Custodibus, Alleluja.

℣. Abeuntes Judaei munierunt Sepulchrum: advolventes lapidem ad ostium monumenti. Signantes illud.

Lectio II.

Et nos vobis annuntiamus eam, quae ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem ita dixit: quia dabo vobis Sancta David fidelia. Ideoque et alias dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem: David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormivit, et appositus est ad Patres suos, et vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.

℟. Sepulto Domino, signatum et monumentum, volventes lapidem ad ostium monumenti, Alleluja * Ponentes milites, qui custodirent illud. Alleluja.

℣. Accedentes Principes Sacerdotum ad Pilatum petierunt illum. Ponentes.

Lectio III.

Notum igitur sit vobis, viri Fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Moysi justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur. Videte ergo ne superveniat vobis, quod dictum est in Prophetis: Videte Contemptores: et ad-

miramini, et disperdimini, quia opus ego operor in diebus vestris: opus quod non creditis, si quis enarraverit vobis. Exeuntibus autem illis rogabant, ut sequenti Sabbato loquerentur sibi verba haec. Quumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judaeorum, et colentium advenarum Paulum, et Barnabam, qui loquentes, suadebant eis, ut permanerent in gratia Dei. Sequenti vero Sabbato pene universa Civitas convenit audire verbum Dei.

℟. Acceperunt Corpus Jesu, et involverunt illud linteis cum aromatibus, et sepelierunt in monumento novo.* In quo nondum quisquam positus fuerat. Alleluja.

℣. Venit Joseph cum Nicodemo, et tulerunt Corpus Jesu et sepelierunt illud monumento novo. In quo etc. Gloria Patri. In quo.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Super muros tuos Jerusalem constitui Custodes: tota die, et tota nocte in perpetuum non tacebunt laudare nomen Dei. Alleluja

℣. Factus est in pace locus ejus, Alleluja.

℟. Et habitatio ejus in Sion. Alleluja.

Lectio IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbat. *De Sepulchro cap.* 17.

Inter Sancta, et desiderabilia loca, Sepulchrum Christi tenet quodammodo principatum, et devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requievit, quam ubi vivens conversatus est; atque amplius movet ad pietatem mortis, quam vitae recordatio, puto, quod illa austerior, haec dulcior videatur; magisque infirmitati blandiatur humanae quies dormitionis, quam labor conversationis; mortis securitas, quam vitae rectitudo. Vita Christi vivendi mihi regula extitit: mors a morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit; vita quidem laboriosa, sed mors pretiosa: utraque vero admodum necessaria. Quid enim Christi mors prodesse poterat nequiter viventi, sive vita damnabiliter morienti? Numquid deinde aut mors Christi etiam nunc male usque ad mortem viventes a morte aeterna liberat, aut

mortuos ante Christum Sanctos Patres vitae sanctitas liberavit? sicut scriptum est: Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? Hunc ergo, quia utrumque nobis pariter necessarium erat et pie vivere, et secure mori, et vivendo vivere docuit, et mortem moriendo securam reddidit: quoniam quidem resurrecturus occubuit, et spem fecit morientibus resurgendo.

℟. Mulieres venerunt ad monumentum, portantes, quae paraverant, aromata. * Et invenerunt lapidem revolutum a monumento, Alleluja.

℣. Et factum est, dum mente consternatae essent, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Et invenerunt.

Lectio V.

Sive itaque haec, sive alia quaecumque in hunc modum (prout in suo quisque abundat censu) ex occasione Sepulchri Christianis sensibus suggerantur, puto quod non mediocris dulcedo devotionis infundatur comminus intuenti, nec parum proficitur cernendo etiam corporalibus oculis corporalem locum Dominicae quietis. Et si quisque jam vacuum sacris membris, plenum tamen nostris, et jucundis admodum Sacramentis. Nostris inquam, si tamen tam ardenter amplectimur, quam indubitanter tenemus, quod Apostolus ait: Consepulti enim sumus per Baptismum in morte; ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et Resurrectionis erimus.

℟. Angelus Domini locutus est Mulieribus dicens: Quem quaeritis? An Jesum quaeritis? jam surrexit: * venite, et videte locum. Alleluja.

℣. Jesum quaeritis Nazarenum Crucifixum? Surrexit, non est hic. Venite.

Lectio VI.

Quam dulce est Peregrinis post multam longi itineris fatigationem, post multa terrae, marisque pericula, ibi tandem quiescere, ubi et agnoscitur, suum Dominum quievisse? Puto jam, quod prae gaudio non sentiunt vitae laborem, nec gravamen reputant expensarum, sed tamquam la-

laboris praemium, cursusque bravium assecuti juxta Scripturae sententiam, gaudent vehementer, quum invenerint Sepulchrum. Nec casu, vel subito, aut veluti lubrica popularis favoris opinione, id tam celebre nomen Christi Sepulchrum sortitum esse putatur, cum hoc ipsum tantis retro temporibus Isaias tam aperte praedixit: Et erit (inquit) in die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit Sepulchrum ejus gloriosum. Revera ergo impletum cernimus, quod legimus prophetatum: novum quidem intuenti, sed legenti antiquum: ut sic adsit de novitate jucunditas, et de vetustate non desit auctoritas.

℟. Dum transiret Sabbatum, Maria Magdalena, Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata * Ut venientes ungerent Jesum. Alleluja.

℣. Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam Sole. Ut venientes. Gloria. Ut venientes.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Et thronus ejus, sicut Sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in Coelo fidelis. Alleluja.

℣. Erit mihi Dominus in Deum, Alleluja.

℟. Et lapis iste vocabitur Domus Dei, Alleluja.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 24.

In illo tempore, una Sabbati valde diluculo venerunt Mulieres ad monumentum portantes, quae paraverant, aromata. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Sabb. in Vigilia Paschae de Joseph. Ser. 50.

Cum Maria Magdalene venisset ad monumentum, quam memorem Salvatoris, admissa fides, ac devotio in lacrymas compellebat, videns revolutum a foribus lapidem, cum non invenisset in Sepulchro Dominum, coepit acrius dolere, quod

perdiderit defunctum, mox autem ad Petrum ejus Discipulum pervolat, quem pro meriti qualitate, vel fidei, major de ejus obitu cura tangebat, nuntiat inane Sepulchrum, queritur de Corpore ablato. Petrus vero Resurrectionis Filii Dei, et ante Crucem conscius, quam praedixerat ipse passurus, sub tali Nuntio non flevit, aut doluit, sed morem suum in Divinis Virtutibus servans, properat experiri, quod credidit.

℟. Tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt Eum. Dicunt ei Angeli: Mulier quid ploras? Surrexit, sicut dixit *: Praecedet vos in Galilaeam, ibi eum videbitis. Alleluja.

℣. Cum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum: et vidit duos Angelos in albis sedentes, qui dixerunt ei. Praecedet vos.

Lectio VIII.

Ad Sepulchrum itaque Domini celeri cursu festinat, laetior rediturus, si non inveniret, quod quaerebat. Beatus autem Evangelista et ex consequentibus probat potentiam Resurgentis. Venit inquit, Simon Petrus; et introivit in monumentum: et cum non invenisset Dominum, vidit linteamina posita, et sudarium, quod fuerat super Caput ejus. Nam manifestius Deus perlaturus quem vivificaverat in Coelum, et mortem evacuat, et Sepulchrum. Nam linteamine, quo funus tegebatur, exposito, reliquit terrae exuvias vitali jam corpore induta majestas.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum quia quem quaerebam, apparuit mihi * Et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum. Alleluja.

℣. Recedentibus Discipulis, non recedebam, et amori ejus igne succensa ardebam desiderio. Et dum flerem. Gloria Patri. Et dum flerem.

Lectio IX. de Homilia Dominicae.

Ad Laudes, et Horas.

Ant. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis Populi ejus, in atriis Domus Domini, in medio tui Jerusalem. Alleluja.

Psalmus. Dominus regnavit *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Ingredieris in abundantia Sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Alleluja.

Ant. Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thaesaurum, gaudentque vehementer, quum invenerint Sepulchrum. Alleluja.

Ant. Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio Sancto ejus. Alleluja.

Ant. In Sole posuit Tabernaculum suum, et ipse, tamquam Sponsus, procedens de thalamo suo. Alleluja.

Capit. Cum consumassent: *ut in 1. Vesp.*

Hymnus.

Audite, tristes inferi,
Turbae frementes hostium,
Vestrae ruinae nuntium,
Sacri Sepulchri gloriam.
En jam futuri conscius
Illam Propheta praecinit,
Et gloriosum posteris
Narrat Sepulchrum Saeculis.
Hic ille Rex fortissimus,
Fractis Averni viribus,
Et mortis excusso jugo,
Primum trophea suscitat.
Candore tectus vestium,
Novoque lucis fulgure,
Delapsus astris Nuntius,
Hic excubavit Angelus.
Jam temperandum lacrymis,
Satis datum suspiriis,
Gravi dolore sauciae

Hic audierunt Feminae.
Et vos Magistri funere
Plane simul commortui
Vestro dolori gaudium
Tulistis hic, Apostoli.
Tu vero, Christe, maxima
Tui Sepulchri gloria
Mortem resurgens viceras:
Nos morte culpae libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sempiterna Saecula. Amen.

℣. Dum esset Rex in accubitu suo, Alleluja.
℟. Nardus mea dedit odorem suavitatis, Alleluja.
Ant. et Oratio, ut in primis Vesperis.

Ad Primam.

In ℟. brevi dicitur.
℣. Qui surrexisti a mortuis Alleluja, Alleluja.

Ad Tertiam.

Capitulum. Cum consumassent, *ut in Vesperis.*
℟. Tuum Sepulchrum adoramus, Domine, Alleluja Alleluja. Tuum Sepulchrum.
℣. Et recolimus tuam gloriosam Resurrectionem. Alleluja Alleluja. Gloria. Tuum.
℣. Vere locus iste sanctus est, Alleluja.
℟. Et ego nesciebam, Alleluja.

Ad Sextam.

Capitulum. Et accepto Corpore, Joseph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra.
℟. Vere locus iste sanctus est, Alleluja, Alleluja. Vere locus.
℣. Et ego nesciebam, Alleluja Alleluja. Gloria Patri. Vere locus.

℣. Te decet hymnus, Deus, in Sion, Alleluja.
℟. Et tibi reddetur votum in Jerusalem. Alleluja.

Ad Nonam.

Capitulum. Una Sabbati valde diluculo venerunt Mulieres ad monumentum portantes, quae paraverant, aromata, et invenerunt lapidem revolutum de monumento.

℟. Te decet hymnus, Deus, in Sion. Alleluja, Alleluja. Te decet.

℣. Et tibi reddetur votum in Jerusalem. Alleluja, Alleluja, Gloria Patri. Te decet.

℣. Lapidem, quem reprobaverunt, Alleluja.

℟. Hic factus est in caput anguli, Alleluja.

Ad Vesperas.

Antiphonae, ut in primis Vesperis. Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psalmus. Super flumina Babilonis, *ut in Vesperis Feriae quintae. Capitulum et hymnus pariter, ut supra.*

℣. Ipsum gentes deprecabuntur, Alleluja.

℟. Et erit Sepulchrum ejus gloriosum, Alleluja.

Ad Magnificat.

Introeuntes in monumentum, viderunt Juvenem sedentem in dexteris coopertum stola candida, et obstupuerunt. Alleluja.

Majus.

B. M. V. GRATIARUM

Dup. maj. Omnia, ut in festo S. Mariae ad Nives, praeter ea, quae sequuntur.

Ad Magn. in utrisq. Vesp.

℣. Ave, Maria, gratia plena:
℟. Dominus tecum.
Antiph. O beata Virgo Maria, tu veniae vena, tu gratiae Mater, tu spes Mundi, exaudi filios tuos clamantes ad te.

Oratio.

Deus, qui humano generi Beatae Mariae Virginitate foecunda reparationis gratiam contulisti: concede, ut quam gratiae Matrem appellamus in terris, ejus felici consortio perenniter perfruamur in Coelis. Per Dominum etc.

Lectio IV.

Sermo S. Thomae Episcopi.

Conc. 2. de Annunt.

Admirandam, omnique virtute praestantem Genitricem Dei Mariam pro mei ingenii exiguitate toto animi desiderio laudare desiderans, nullum fere in Sacris Litteris potui reperire praeconium, quod ad litteram ejus nobis gloriam, excellentiamque demonstret. Nam etsi de illa per Prophetas plurima mystice dicta, factaque passim legantur, unde possit virtutis ejus magnitudo constare, in Evangelicis tamen, aut Apostolicis scriptis, rarus de illa sermo, et multo rarior laus invenitur. Quamvis, ut verum fatear, non ita silentio tradita est, ut in eorum dictis virtutum ejus claritas tenuissimo radio, veluti per quasdam verborum rimulas, non eniteat. Sed unde magis ejus gloriam, virtutes, dotesque animi poterimus auspicari, quam ex illo mirifico ejus, et An-

geli colloquio? in quo praeter hoc, quod Angelico eloquio gratia plenissima, et omnium Foeminarum prima merito praedicatur, ex gestis ejus, et dictis multa nimis praeconiorum ejus sylva emicuit.

Lectio V.

Ingressus Angelus ovanter, salutavit reverenter: Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Plena gratia, implenda Deitate, obumbranda virtute; gratia plena de cujus plenitudine accipiunt universi, de cujus abundantia totus replendus est Orbis. Et vere plena, in cujus animo nullus peccato relictus est locus, nullus iniquitati patuit accessus. Dominus tecum. Et quomodo tecum? non utique sicut mecum, sed sicut nullibi: tecum in corpore, tecum in mente, tecum in animo, tecum in consilio, tecum in utero, tecum in auxilio, tecum in ortu, tecum in exitu, tecum in fine, tecum sine fine.

Lectio. VI.

Ex Conc. 1. Annunt.

Coelesti ergo Legatione audita, sic fatur ad Angelum: Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum. Grandi ergo Mysterio, Altissimoque Deitatis instinctu conceptura Deum sui meminit ancillatus, ut orientem a se filium Mundi obsequio manciparet. Fiat mihi, secundum verbum tuum, et ad verbum ejus statim in utero incarnatum est Verbum. O fiat potens, o fiat efficax, o fiat super omne perpetuo honore venerandum! Hoc verbo *fiat* factus est Mundus. Hoc verbo coelestia; terrestriaque Altissimus condidit, sed tale *fiat* non sonuit in Orbe, quale tu nunc. Beata, dixisti. Quid enim factum est? Quis dicere potest, quid factum est? Natura stupet, judicium haeret, hebescit sensus, lingua mutescit, ratio deficit, intellectus non capit quod factum est in Maria, cum hoc protulit verbum: Fiat mihi secundum verbum tuum.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *C.* 1 *v.* 26.

In illo tempore, missus est Gabriel Angelus a Deo in Civitatem Galileae, cui nomen Nazareth ad virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Epis.

Ser. 291. in Nat. S. Jo. Bapt. 4.

Angelus vero idem ipse ad Mariam Virginem: Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum, jam tecum est, qui erit in te. Dic mihi ergo, Nuntie Dei, quomodo fiet istud? Vide Angelum scientem, illam quaerentem, non diffidentem. Audi quomodo: Erit virginitas tua: Tu tantum crede veritatem, serva virginitatem, accipe integritatem. Quoniam integra est fides tua, intacta erit integritas tua. Denique audi, quomodo fiet istud: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, quia fide concipis, quia credendo in utero, non concubando habebis: propterea quod nascetur de te Sanctum vocabitur Filius Dei. Quid es, quae postea paritura es? Unde meruisti? Unde hoc accepisti? Unde fiet in te qui fecit te? Unde, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, Sancta es, votum vovisti, sed multum, quod meruisti, immo vero multum, quod accepisti.

℟. Sub tuum praesidium confugimus, clementissima Virgo, suscipe nos, unica spes nostra, et nostris delectare laudibus, quibus indigni omni te laude dignissimam collaudamus.

℣. Aufer a nobis iniquitates nostras, ut digni canamus tibi gloriae melos. Quibus etc.

Lectio VIII.

Nam unde hoc meruisti, ut sit in te, qui fecit te: sit in te, per quem facta es: immo vero, per quem factum est Coelum, et Terra, per quem facta sunt omnia, fit in te Verbum Dei caro, accipiendo carnem, non amittendo Divinitatem. Et Verbum jungitur carni, et Verbum copulatur carni, et hujus tanti conjugii thalamus uterus tuus, et hujus, inquam, tanti conjugii, idest, Verbi, et carnis thalamus uterus tuus, unde ipse Sponsus procedit de thalamo suo. Invenit te virginem conceptus, dimittit virginem natus. Dat foecunditatem, non tollit integritatem: Unde tibi hoc? Proterve virginem video interrogare, et quasi importune aures verecundas ista mea voce pulsare. Sed video virginem verecundantem, et tamen respondentem, meque admonentem: Quaeris a me, unde mihi hoc? Verecundor tibi respondere bonum meum. Angeli audi ipsius salutationem, et in me agnosce tuam salutem. Crede cui credidi. Unde mihi hoc quaeris? Angelus respondeat. Dic mihi Angele, unde Mariae hoc? jam dixi, cum salutavi: Ave gratia plena.

℟. Porta Coeli, et stella maris es, Virgo Maria, Regis aeterni Mater, gratos nos redde Filio tuo * Quia omnis virtus, et decor, et gloria ex te resplendet.

℣. Tu veniae vena, tu gratiae Mater, tu spes Mundi, exaudi nos clamantes ad te. Quia omnis etc. Gloria Patri. Quia etc.

DIE XXIV. MAII

IN FESTO B. MARIAE VIRGINIS

TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM

DUPLEX MAJUS.

Omnia ut in festo S. Mariae ad Nives, praeter ea quae sequuntur.

Si fiat tempore Paschali additur Alleluja *Ant.* ℟℟. *et* ℣℣.

HYMNUS.

Ad Vesperas, et Matutinum.

SÆpe dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis,
Venit adjutrix pia Virgo cœlo
Lapsa sereno.

Prisca sic Patrum monumenta narrant,
Templa testantur spoliis opimis
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotannis.

En novi grates liceat Mariæ
Cantici lætis modulis referre
Pro novis donis, resonante plausu
Urbis, et Orbis.

O! dies felix, memoranda fastis,
Qua Petri Sedes Fidei magistrum
Triste post lustrum reducem beata
Sorte recepit.

Virgines castæ, puerique puri,
Gestiens clerus, populusque grato
Corde Reginæ celebrare cœli
Munera certent.

Virginum Virgo, benedicta Jesu
Mater, hæc auge bona; fac, precamur,
Ut Gregem Pastor Pius ad salutis
Pascua ducat.

Te per æternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudant. Amen.

Ad Magnificat.

Antiph. Ecce Maria erat spes nostra, ad quam confugimus in auxilium, ut liberaret nos, et venit in adjutorium nobis.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui ad defensionem Populi Christiani in Beatissima Virgine Maria perpetuum Auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius; ut tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dom. nostr. etc.

Ad Matutin. Hymn. Sæpe dum Christi etc. *ut in Vesp.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de 12. Stellis.

Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus, et mulier una nocuere: sed gratias Deo per unum nihilominus virum, et mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Et quidem sufficere poterat Christus: siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat, esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque. Jam itaque nec ipsa Mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem Christum, nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis, illa suggessit prævaricationem, hæc in-

gessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac, et lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam: et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel levis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi suavitatem odoris.

Lectio V.

Quod si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis, et gratiæ, plena mansuetudinis, et misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est sapientibus, et insipientibus, copiosissima charitate debitricem se fecit. Omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam. Ipsa præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Ipsa est quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contrivit universam haereticam pravitatem. Contriti sunt insidiantes, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Jam si Ecclesia Lunae intelligenda videtur vocabulo, habes mediatricem evidenter expressam; Mulier, inquit, amicta Sole, et Luna sub pedibus ejus. Amplectamur Mariae vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis: potens est enim.

℟. Quae est ista quae processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio VI.

Ex publicis Monumentis.

Praesentissimum Deiparae auxilium ad Religionis hostes profligandos saepe Populus Christianus mirum in modum expertus est: ex quo factum ut SS. Pontifex Pius V. post insignem Victoriam, intercedente Beatissima Virgine, a Christianis de Turcarum Tyranno apud Echinadas Insulas reportatam in Litaniis Lauretanis eamdem Reginam cœlorum inter alia praeconia Auxilium Christianorum appellari constituerit. Sed illud in primis memorabile est, atque explorati miraculi loco habendum, quod cum Romanus Pontifex Pius VII. impiorum consiliis et armis ex Apostolica Petri Sede exturbatus, et arcta custodia, praesertim Savonae per annos quinque, eoque amplius fuisset detentus, viis omnibus penitus interclusis, ne Dei Ecclesiam regere posset, nullo similis persecutionis in priscis annalibus exemplo, inopinato, et praeter omnium expectationem contigit, ut ingenti plausu, ac veluti universi orbis manibus Pontificio Solio restitueretur. Quod et secundo accidit, dum iterum commoto turbine, ab Urbe discedens Sacro comitante Cardinalium Collegio Liguriam contendit. Verum praesentissimo Dei beneficio, cessante procella, quae grave minabatur excidium, Romam, plaudentibus prae novo gaudio Populis, reversus est. Antea tamen, quod in votis habuerat et captivitate detentus exequi nequiverat, aurea Corona insignem Savonae Imaginem Deiparae Virginis sub titulo Matris Misericordiae solemni ritu, propriisque manibus decoravit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem Pontifex Maximus Pius VII. totius eventus intime conscius, cum intercessione SS. Dei Genitricis, cujus potentem opem, et ipse impense imploraverat, et ab omnibus Christifidelibus implorari curaverat, acceptam merito referret, in ejusdem Virginis Matris honorem sub appellatione Auxilii Christianorum solemne festum indixit perpetuo celebrandum die mensis Maii vigesimo quarto, faustissimi sui in Urbem reditus anniversario, approbato etiam Officio proprio, ut tan-

ti beneficii distincta, et perennis extet memoria, et gratiarum actio.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiae Sion beatissimam praedicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Cap. 11. d.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: beatus venter, qui te portavit! Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis

In Nativitate B. M. V.

Intuere, o Homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Altius ergo intuemini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam voluntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen qui-

cumque tuum sanctum implorant auxilium. Quia ex Te.

Lectio VIII.

In omnibus siquidem, et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur; fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua; Pater enim diligit Filium. Sed forsitan et in ipso majestatem vereare divinam, quod, licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad Ipsum? Ad Mariam recurre, Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna qui potens est, et Sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio IX.

Filioli haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meæ. Quid enim? Potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum: feliciter. Semper haec inveniet gratiam, et sola est gratia, qua egemus: nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus Fratres? Quaeramus gratiam, et per Mariam quaeramus, quia quod quaerit invenit, et frustrari non potest. Quaeramus gratiam, sed gratiam apud Deum; nam apud homines gratia fallax. Quaerant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Non gratiae est quod hic sumus! Profecto misericordiae Domini est, quod non sumus consumpti nos.

AD LAUDES.

Hymnus.

Te Redemptoris, Dominique Nostri
Dicimus matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus, et levamen
Rebus in arctis.
Saeviant portae licet inferorum,
Hostis antiquus fremat, et minaces,
Ut Deo Sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.
Nil truces possunt furiae nocere
Mentibus castis, prece quas vocata,
Annuens virgo fovet, et superno
Robore firmat.
Tanta si nobis faveat Patrona
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur, fugiuntve turmae
Mille cohortes.
Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clypeis, et acri
Milite tuta.
Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, cœli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Daemonis ictus.
Te per aeternos veneremur annos
Trinitas summo celebranda plausu,
Te fide mentes resonoque linguae
Carmine laudent. Amen.

Ad Benedictus.

Antiph. Ad Te, o Sancta Dei Genitrix, clamavimus, et per te venit Domini auxilium nobis.

Ad II. Vesperas, *Hymn.* Saepe dum Christi etc. *ut in 2. Vesperis.*

Ad Magnificat.

Antiph. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque tuum sanctum implorant auxilium.

Die XXXI. Maji.

S. ANGELÆ MERICIÆ V. *dup.*

Omnia de comm. Virg. praeter sequ.

Oratio.

Deus, qui novum per B. Angelam Sacrarum Virginum Collegium in Ecclesia Tua florescere voluisti, da nobis ejus intercessione angelicis moribus vivere; ut, terrenis omnibus abdicatis, gaudiis perfrui mereamur aeternis. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Angela Mericia Decentiani, Veronensis Dioecesis Oppido ad Lucum Benacum in Ditione Veneta, piis orta parentibus a prima aetate virginitatis lilium, quod perpetuo servare statuerat, sedula sepsit ab omni muliebri ornatu abhorrens egregiam vultus formam, pulchramque caesariem studiose foedavit, ut coelesti dumtaxat animarum Sponso placeret. In ipso autem adolescentiae flore parentibus orbata, austerioris vitae desiderio in desertum locum aufugere tentavit, sed ab avunculo prohibita novit praestare domi, quod in solitudine non licuit. Cilicio, ac flagellis frequenter usa carnem nonnisi infirma valetudine, vinum in Nativitatis, et Resurrectionis Dominicae tantum celebritate, complures vero dies nihil omnino degustavit. Orationi dedita brevissimum humi carpebat somnum: Daemonem vero sub lucentis Angeli forma sibi illudere conantem agnovit protinus, et conjecit in fugam. Tandem paternis bonis abdicatis, et habitum ac regulam Tertii Ordinis S. Francisci amplexa, evangelicam paupertatem virginitatis laudi conjunxit. Tu autem etc.

Lectio V.

Nullum pietatis officium erga proximos omittens, pauperibus, quidquid sibi ex emendicato victu superesset, largiebatur; libenter ministrabat aegrotis, pluraque cum magna Sanctitatis fama peragravit loca, ut vel solatio esset afflictis, vel reis veniam impetraret, vel infensos invicem reconciliaret animos; vel e vitiorum coeno scelestos revocaret. Angelorum pane, quem unice esuriebat, frequentissime refecta tanta charitatis vi ferebatur in Deum, ut saepius extra sensus raperetur. Sacra Palestinae loca summa cum religione obivit: quo in itinere et visum, quem ad Cydonias appulsa oras amiserat, eodem regressa recuperavit, et barbarorum captivitatem, ac naufragium imminens divinitus evasit. Romam denique firmam Ecclesiae Petram veneratura, et amplissimae Jubilaei veniae percupida, sedente Clemente VII., accessit; quam Summus Pontifex allocutus, ejusdem Sanctimoniam suspexit, et commendavit summopere; nec ab Urbe ipsam abire ante permisit, quam alio coelitus vocatam agnovit. Tu autem etc.

Lectio VI.

Brixiam itaque, ubi domum ad Sanctae Aphrae templum conduxit, reversa, novam ibi Virginum Societatem, sicut caelesti voce, ac visione mandatum sibi fuerat, sub certa disciplina, sanctisque vivendi regulis constituit, quam Sanctae Ursulae invictae Virginum ducis patrocinio, ac nomine insignivit: eam vero perennem futuram morti proxima praedixit. Tandem prope septuagenaria dives meritis avolavit in Coelum sexto Kalendas Februarii anni millesimi quingentesimi et quadragesimi, cujus cadaver per ipsos triginta dies inhumatum, flexibile, ac vivo simillimum perseveravit. Demum in S. Aphrae templo inter caeteras, quibus illud abundat, Sanctorum Reliquias reposito, plurima ad ejus sepulchrum agi statim coepere miracula: quorum fama late diffusa, non Brixiae modo, et Decentiani, sed alibi etiam vulgo coepit nuncupari Beata, ejusque imago aris imponi; imo S. ipse Carolus Borromaeus non multis post annis dignam, quae ab Apostolica Sede in Sanctarum Virginum

album referretur, Brixiae palam asseruit. Cultum vero illi jamdiu a populis exhibitum, et tum locorum Ordinariis probatum, tum pluribus etiam Summorum Pontificum Indultis munitum, Clemens Papa XIII. solemni Decreto ratum habuit, ac confirmavit. Eam tandem, novis miraculis rite probatis, insignem PIUS PAPA VII., solemni Canonizatione in Vaticana Basilica peracta die vigesima quarta Maii anno millesimo octingentesimo, Sanctarum Virginum Catalogo adscripsit. Tu autem etc.

JUNIUS

OFFICIUM

SACRI CORDIS B. M. V.

DUPLEX MAJUS.

Pro Civitate, et Diœcesi Consentina, et alibi

Ad Vesperas.

Antiph. O Admirabile et venerandum cor.

Cum reliq. de Laud. Psalm. de B. M.V. ut in ejus Officio parvo.

Capitulum. *Cant. 8.*

Pone me ut signaculum super Cor tuum; ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors dilectio.

Hymnus.

Ad Cor tam tenerum, currite, Virginis
Almae, vos miseri: fidite, siquidem
Nulli se renuit; sed potius pium
Factum est omnibus omnia.
Ad Matris Cor adi, fide levaberis,
Infelix homo; nunc curre, quid ambigis?
Accurrit malis, et noxia criminum
Delet Sanguine Filii.

Accedant igitur quique laboribus
Pressi ad Cor tenerum; namque miserrimos
Hos Virgo reficit, sublevat; adjuvat,
Tollens pondera criminum.
Si Cor sit gelidum, Virginis en amor
Almæ: dum refovet, pectora frigida
Ignescunt adeo; quo magis expetant
Incendi simul, et mori.
Sit laus Patri, sit gloria Filio;
Aequalis sit honor Spiritui quoque;
Almæ sit pariter gloria Virgini,
Quæ nos undique protegit. Amen.

℣. Cum jucunditate laudes Cordis Mariæ Virginis celebremus.
℟. Ut ipsa pro nobis intercedat apud Dominum Jesum Christum.

Ad Magnificat Antiph. O Mater amabilis, Beatam te dicent omnes generationes, quia respexit Deus humilitatem Cordis tui; ideo fecit tibi magna, qui potens est.

Oratio.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium, Cor immaculatum Mariæ, divino Cordi Filii sui Jesu Christi charitate, ac misericordia simillimum esse voluisti: concede, ut qui hujus dulcissimi, et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem meritis, secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eumdem etc.

Ad Complet., et per Horas, in fine Hymn. dic. Jesu tibi sit gloria. *Qui natus es de Virgine.*

Ad Matutinum. *Invitatorium.*

Deum, in Sanctissimo Corde B. Mariae Virginis regnantem * Venite Adoremus. *Psalm.* Venite exultemus.

Hymnus.

Hoc Corde quid sublimius?
Abyssus alta gratiæ.
Quid Corde tali dignius?
Est Thronus Regis gloriæ.

Thesaurus est fidelium,
Spes certa, turris valida:
Vires tu frange dæmonum,
Nostrum tu sis sollicita,
Nos ergo tantæ virginis
Hoc Cor colamus igneum;
In quo beatitudinis
Summæ manet compendium.
O Cor revera flammeum,
Flammis ure præcordia,
Ex quibus tu ardes; omnium
Accensa fac et pectora.
O Virgo, magnes fortior,
Quæ cuncta tibi colligis
Ambra revera dulcior,
Ad te cor nostrum subtrahe.
Laus sit Mariæ, filiæ
Patris, ac Matri Geniti:
Sponsæque Sancti Spiritus
Per sæculorum sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Quam admirabile est Cor tuum, o Virgo Maria, in universa terra, magnificentia tua exaltata est super omnes Cœlos.

Psalm. Domine Dominus noster. *Cum reliq. ut in Officio parvo B. M. V.*

Antiph. Oculi ejus semper ad Dominum, et meditatio Cordis Mariæ in conspectu Dei semper.

Psalm. Cœli enarrant.

Antiph. Innocens manibus, et mundo corde custodivit Maria animam suam, ideo accepit benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

Psalm. Domini est terra.

℣. Corde magno, et animo volenti canamus Domino gloriam.

℟. In hac solemnitate Cordis B. M. V. Pater noster.

Absol. Exaudi Domine.

℣. Jube Domne benedicere.

Bened. Benedictione perpetua.

Lectio I.

De Canticis Canticorum. *Cap. 4.*

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra sunt oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Tota pulchra es, Amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, Sponsa mea, veni, coronaberis. De capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus Leonum, de Montibus Pardorum. Vulnerasti Cor meum soror mea sponsa in uno oculorum tuorum, et in uno crine calli tui. Tu autem etc.

℟. Beatissimum Cor tuum, O virgo Maria, benedictum sit semper: Thronus omnium virtutum, Templum SS. Trinitatis * Sola placuisti præ cæteris Deo, et toto corde vere Deum dilexisti.

℣. Ideo elegit te Deus sibi, et dignum in te præparavit habitaculum. * Sola etc.

Lectio II. *Cant. 5.*

Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum Soror mea Sponsa; messui myrrham cum aromatibus meis. Comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi. Ego dormio, et Cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi Soror mea, amica mea. Columba mea, Immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei pleni guttis noctium. Tu autem etc.

℟. Felix es, Virgo Maria, et omni laude dignissima, quia cor tuum humilitate placuit, et charitate concepit *. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

℣. Benedictus Deus Cordis tui, et pars tua in æternum * Benedicta.

Lectio III. *Cant. 8.*

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis

est, ut mors dilectio; dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Tu autem etc.

℟. Fulcite me floribus, stipate me malis * Quia amore langueo.

℣. Flores tui fructus honoris, et honestatis * Quia amore etc. Gloria Patri etc. * Quia amore etc.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Omnis gloria Filiæ Regis ab intus, de bono Cordis sui thesauro omnia procedunt bona.

Psalm. Eructavit Cor meum.

Antiph. Veniat dilectus meus in Cor meum, et ponat in eo regnum dilectionis suæ.

Psalm. Deus noster refugium, et virtus.

Antiph. Gloriosa dicta sunt de te, Admirabile Cor Mariæ Virginis, concupivit ideo Rex decorem tuum.

Psalm. Fundamenta ejus in montibus.

℣. Desiderium Cordis Mariæ audivit Dominus.

℟. Præparationem Cordis ipsius audivit auris ejus.

Pater noster.

Absolut. Ipsius pictas.

℣. Jube Domne Benedicere.

Bened. Deus Pater Omnipotens.

Lectio IV.

Sermo S. Bernardini Senensis. *Serm. 9. de Visitat.*

Quis mortalium, nisi Divino fretus oculo, quid modicum, vel grande de vera Dei Genitrice dicere præsumat? Illa est, quam Deus Pater in unicam suam, et Virginem dignissimam in perpetuum prædestinavit. Filius in Matrem sibi elegit. Spiritus Sanctus omnis gratiæ domicilium præparavit. Quibus ego homunculus sensus altissimos Virginei Cordis Sanctissimo ore prolatos efferam verbis? Non sufficit quidem lingua omnium hominum, et etiam Angelorum. Dominus enim ait; bonus homo de bono thesauro Cordis sui profert

bona. Quis autem inter puros homines melior potest excogitari, quam illa, quæ meruit effici Mater Dei; quæ in Corde, et in utero suo ipsum Deum hospitata est? Quis thesaurus melior, quam ipse Divinus amor, quo velut in fornace Cor virginis ardens erat? Tu autem etc.

℟. Paratum Cor meum Deus, Deus Cordis mei * Deus meus volui; et legem tuam in medio Cordis mei.

℣. Voluntas tua Deus in medio Cordis mei semper * Deus meus etc.

Lectio V.

De hoc igitur purissimo Virginis Corde, quasi de fornace divini ardoris qui nisi bona exierunt verba; verba scilicet summæ Charitatis? De Corde Matris Christi quid nisi pauca exierunt verba? Septies de ea legitur fuisse palam locuta, ut mystice ostendatur ipsam fuisse septiformis gratiæ plenam. Cum Angelo bis tantummodo locuta est: Quomodo fiet istud? Et, Ecce ancilla Domini. Cum Elisabeth bis etiam, scilicet illam salutando, et Deum simul laudando: Magnificat anima mea Dominum. Cum Filio item bis; in Templo semel: Fili, quid fecisti nobis sic? et in nuptiis: Vinum non habent: cum Ministris semel dum dixit: Quodcumque dixerit vobis, facite. Et in his omnibus semper valde parum locuta est, excepto quod in laude, ex gratiarum actione, se amplius dilatavit, scilicet cum ait: Magnificat anima mea Dominum: Quia non cum homine, sed cum Deo loquebatur. Tu autem etc.

℟. Magnificate Deum Patrem mecum, et exaltetur nomen ejus in idipsum * Quia dedit in Corde meo unicum filium suum.

℣. Magnificat anima mea Dominum * Quia dedit.

Lectio VI.

Hæc verba septem sunt secundum septem amoris processus, et actus, sub miro gradu, et ordine prolata, sicque sunt septem flammæ ardentissimi sui Cordis. Quæ considerans, atque ruminans devota mens cum profeta ait: Quam dulcia faucibus meis, idest omnibus affectionibus, eloquia tua! Porro dulcedo hæc, quam in verbis Beatæ Virginis devota mens sentit, est ardor piæ devotionis, quam

in eis anima experimentaliter probat. Dicat igitur mens devota: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Distinguemus vero per ordinem has septem flammas amoris per verba SS. Virginis hujus. Prima est flamma amoris separantis: Secunda amoris transformantis: Tertia amoris communicantis: Quarta amoris jubilantis: Quinta amoris separantis: Sexta amoris compatientis: Septima amoris consummantis. Tu autem etc.

℟. Corde, et animo Christo canamus gloriam, quia Cor suum suæ Matri dedit, et spiritum suum communicavit ei, ut sint * Cor unum, et anima una.

℣. Benedictum sit in æternum Christi Cor Sanctissimum, et laudabile Cor etiam Mariæ * Cor unum etc. Gloria Patri etc. * Cor unum etc.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Lætentur Cœli, et exultet terra in solemnitate purissimi Cordis B. M. V.

Psalm. Cantate Domino canticum novum.

Antiph. Lux orta est justo, et rectis Corde lætitia in Magnificentia Cordis B. M. V.

Psalm. Dominus regnavit.

Antiph. Cantate Domino canticum novum, quia in Corde purissimo Virginis mirabilia fecit Dominus.

Psalm. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia.

℣. O admirabile Cor Mariæ verá Arca sanctitatis.

℟. In quo sunt absconditi omnes Thesauri gratiæ Dei.

Pater noster.

Absolutio. A vinculis.

℣. Jube domne benedicere.

Ben. Evangelica lectio.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 2.

In illo tempore: Ascendentibus illis Jerusalem secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventuræ Episcopi.

Maria autem conservabat omnia verba hæc in Corde suo; mirum! conferens in Corde suo; tamquam prudens ergo. et discreta secundum illud: misericordia, et veritas te non deserent. Circumda eas gutturi tuo, et scribe in tabulis Cordis tui. Qui ponit illa in suo Corde sapiens erit semper, unde dicitur de fatuo: Cor fatui quasi vas confractum, et sapientiam non tenebit. Tu autem etc.

℟. Ego Mater pulchræ dilectionis, agnitionis, et Sanctæ spei * Ego diligentes me diligo.

℣. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. * Ego diligentes etc.

℣. Jube Domne benedicere.

Ben. Cujus Festum colimus, ipsa Virgo Virginum.

Lectio VIII.

Cor Virginis fuit arca Sanctitatis, thronus gratiæ, et continens Divinorum eloquiorum arcana. Et ideo per arcam Moysi designatur, de qua dicitur, quod continebat tabulas legis Divinæ. Ideo Mariæ applicantur, quia vere dilexit, legem tuam in medio Cordis mei. Qua de re conservabat non solum Christi verba, nempe legis, sed etiam intelligebat; proinde additur: Conferens in Corde suo; ita ut posset dicere illud: in Corde meo abscondi eloquia tua, et in lege tua exquisivi te, cum dilatasti Cor meum. Tu autem etc.

℟. Omnis spiritus laudet Dominum * Quia regnum pulchræ dilectionis, et thronum gloriæ in Corde Virginis Mariæ posuit.

℣. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria, o Beata Trinitas. Quia regnum.

Si venerit in Quadrag. IV. Lect. dic. de Homil. Fer. occur. cum ejus comm. in Laud. Alias erit.

Lectio IX.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat Subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in

Corde suo. Hic describitur ejus clarificatio, et hoc per duo, scilicet, per Matris testimonium, et per propriæ virtutis indicium. Quantum ad Matris testimonium, dicitur: Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in Corde suo ut pro loco, et tempore testimonium perhiberet, sic dictum est: Tu autem Daniel claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. Et quia, hoc intelligebat; ideo dicitur: in Corde suo, secundum illud: Tempus et responsionem Cor sapientis intelligit. Et dicitur de Transfiguratione Domini, quod Discipuli verbum continuerunt apud se. Tu autem etc.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per horas.

Antiph. O Admirabile, et venerandum Cor Beatæ Mariæ Virginis, in quo omnis fons, et plenitudo Charitatis Christus Jesus inhabitat, et regnat.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dominica.*

Antiph. Invenit Dominus Mariam secundum Cor suum; et quæ placita sunt ei, fecit semper.

Antiph. Ego dormio, et Cor meum vigilat, et meditatio Cordis mei in conspectu Dei semper.

Antiph. Benedictum sit semper Cor Mariæ Virginis, quia fons vivus est benedictionis, abyssus gratiæ, et Thronus SS. Trinitatis.

Antiph. Omnis spiritus laudet Dominum, quia in Corde dilectissimæ Matris suæ facit magnalia.

Capitulum. *Cant.* 8.

Pone me ut signaculum super Cor tuum; ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors, dilectio.

HYMNUS.

Quid Corde Matris Virginis
Coli potest Sacratius?
Cordi supremi Numinis
Quid Corde tanto gratius?
Amoris est miraculum;
Triumphus Almi spiritus;
Dignum Deo spectaculum;
Fæcunda spes mortalibus!

Levamen est lugentibus,
Zelator ardens mentium:
Cunctis datum fidelibus;
Cor, vita, lux, oraculum.
O Cor Dei Triclinium,
Nostri Exilii solatium:
Fac in tui vestigia
Nos simul vitam ducere.
O Sacrosancta Trinitas,
Aeterna vita Cordium?
Cordis Mariæ charitas
In Corde regnet omnium. Amen.

℣. Ardens Cor Mariæ lætabitur Domino in gloria.
℟. Et amabit Deum suum in æternum.
Antph. Ad Benedictus.

O Mater amabilis, magnificent te omnes gentes: et benedictum sit fidelissimum Cor tuum in æternum.

Oratio.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem, et miserorum perfugium Cor immaculatum Mariæ divino Cordi Filii sui Jesu Christi charitate, ac miricordia simillimum esse voluisti: concede, ut qui hujus dulcissimi, et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem meritis, secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eundem etc.

Ad Primam. Ant. O Admirabile.
In ℟. *brev. dic.* ℣. Qui natus es de M. V.
Ad Tertiam ant. Invenit.
Capitulum Pone me *ut supr.*
℟. Paratum Cor meum Deus * Paratum.
℣. Ut faciam voluntatem tuam * Paratum.
Gloria Patri * Paratum.
℣. Desiderium Cordis Mariae audivit Dominus.
℟. Præparationem Cordis ipsius audivit auris ejus.
Ad Sextam. Antiph. Ego dormio

Capitulum *Lucae* 2.

Omnes qui audierant, mirati sunt de his, quae dicta erant de Jesu a Pastoribus. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo.

℟. Desiderium Cordis Mariae * Audivit Dominus. Desiderium.

℣. Praeparationem Cordis ipsius audivit auris ejus. Audivit.

Gloria Patri. Desiderium.

℣. Omnis Spiritus laudet Dominum.

℟. In Corde Mariae regnantem.

Ad Nonam. Antiph. Omnis spiritus.

Capitulum. *Luc. 2.*

Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis, et Mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo.

℟. Omnis spiritus * Laudet Dominum. Omnis.

℣. In Corde Mariae regnantem * Laudet.

Gloria Patri. * Omnis.

℣. Vivit Cor Mariae, et laetabitur in Domino.

℟. Et amabit eum in saeculum saeculi.

In 1. Vesp. dicunt. omn. ut in primis.

Ad Magnificat. Antiph.

Exultet Cor Mariae in Deo salutari suo, quia fecit ei magna qui potens est.

B. M. V. DIVINI PASTORIS MATRIS.

Dup. maj. Omnia, ut in festo S. Mariae ad Nives praeter sequentia.

Oratio.

Domine Iesu Christe, Pastor bone, qui pro ovibus tuis animam dedisti, nosque populum tuum, et oves pascuae tuae in Cruce pendens Matri Virgini commendasti; Ipsa interveniente, concede, ut Te Pastorem nostrum sequentes in terris, ad pascua aeternae vitae perducamur in Coelis. Qui vivis, et regnas.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. 6. de Assump. Virg.

Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus, et mulier una nocuere: sed gratias Deo per unum nihilominus Virum, et Mulierem unam omnia restaurantur, nec sine magno foenore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita et donum, sed excedit damni aestimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentissimus, et clementissimus Artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, et Evam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem et nunc omnis sufficentia nostra ex eo est, sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostrae reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane, et praepotens mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus; sed divinam in eo reverentur homines majestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter et judicium: quia etsi didicit ex iis, quae passus est, compassionem, ut misericors fieret, habet tamen et judiciariam potestatem.

Lectio V.

Denique Deus noster ignis consumens est: Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei? Jam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa, invenitur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum: nec aliter nobis utilior, quam Maria: Crudelis nimirum Eva, per quam Serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: Sed fidelis Maria, quae salutis antidotum et viris, et mulieribus

propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis. Illa suggessit praevaricationem, haec injecit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac, et lanam.

Lectio VI.

Revolve diligentius evangelicae historiae seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quid denique igneum, vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de caetero eam suspectam habeas, et accedere verearis. Quod si (ut vere sunt) plena magis omnia pietatis, et gratiae plena mansuetudinis, et misericordiae, quae ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus, et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit: omnibus misericordiae sinum aperit, et de plenitudine ejus accipiunt universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus laetitiam, denique tota Trinitas gloriam, et Filii Persona carnis humanae substantiam, ut non sit, qui se abscondat a calore ejus. Hanc autem boni Pastoris nostri Jesu Christi dulcissimam Matrem, ipsum inter, ac nos populum ejus, et oves pascuae ejus potentissimam Mediatricem Pius VIII. Pontifex Maximus Sacerdotibus Congregationis Sanctissimi Redemptoris, ut sacrarum Missionum a se obeundarum singularem Patronam, peculiari Officio, et Missa tertio Nonas Septembris quotannis celebrare permisit.

S. CALOGERI CONF.

Dupl. omn. de comm. Conf. non Pont. praeter lectiones I. Noct. de Script. occurr., et quae sequuntur.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui S. Calogerum per Jejunia, et orationes de Carne, ac Daemone sic fideliter triumphare fe-

cisti, ut angelicam vitam duceret in terris, concede propitius, ut ejus meritis, et intercessione devictis carnis illecebris, ac Daemonum insidiis ad Sanctitatis fastigium pervenire valeamus. Qui vivis.

In I. Noct. lect. de Script. occurrente

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Calogerus Costantinopolitanus piis, et honestis parentibus natus, ab eis pie educatus, jam inde ab ineunte aetate sacris imbutus litteris, multarum virtutum, abstinentiae praesertim magnum specimen dedit; nam quoad vixit totam hebdomadam, excepto die Dominico, jejunabat: ejus cibus erat panis, potus aqua. In oratione autem magnam temporis partem consumens, assiduam Dominicae Passionis memoriam recolebat. Quamobrem Divino incensus amore, patria, parentibusque relictis, in Urbem se contulit, et ad Pontificis pedes humiliter prostratus, totam illi vitae suae rationem exposuit, a quo accepta benedictione, et Monachi habitu, in desertum quemdam locum, ut Deo vacaret, secessit: ubi totus in jejunio, lacrymis, precibusque assiduis versabatur, herbarum tantum radicibus, et aqua vitam sustentans. Verum divino Spiritu roboratus Siciliam profectus est, et Liparam Insulam petens, ibidem longo tempore habitavit, ubi eas religiosae vitae rationes suscepit, ut illius Sanctitatem Deus multis miraculis testatam esse voluerit.

Lectio V.

Caeterum hic Sanctus Vir ille prorsus existimatur, de quo mira S. Gregorius scriptis mandavit his verbis: Julianus familiaris meus narravit mihi, dicens: Theodorici Regis temporibus Pater Soceri mei in Sicilia exactionem Canonis egerat, et jam ad Italiam redibat, cujus navis appulsa est ad Insulam, quae Liparis appellatur: et quia illic vir quidam Solitarius magnae virtutis habitabat, dum Nautae navis armamenta repararent, visum est praedicto Patri Soceri mei ad eumdem virum Dei pergere, seque ejus

orationibus commendare. Quos vir Domini cum vidisset, eis inter alia collocutus dixit: Scitis, quia Rex Theodoricus mortuus est? Cui illi protinus responderunt: Absit: nos eum viventem dimisimus, et nihil tale ad nos de eo nunc usque perlatum est. Quibus Dei famulus addidit dicens: etiam mortuus est, nam hesterno die hora nona inter Joannem Papam, et Symmacum Patritium discinctus, et discalceatus, et vinctis manibus deductus, in hanc vicinam Vulcani ollam jactatus est. Quod illi audientes sollicite conscripserunt diem, atque in Italiam reversi eodem die Theodoricum Regem invenerunt fuisse mortuum, quo de ejus exitu, atque supplicio Dei famulo fuerat ostensum. Et quia Joannem Papam affligendo in custodia occidit, Symmacumque Patritium ferro trucidavit, ab illis juste in ignem missus apparuit, quos in hac vita injuste judicarat. Haec Gregorius.

Lectio VI.

Post haec Sanctissimus Christi Confessor divinitus admonitus inde ad Giummeriarum Siciliae montem prope Saccam sic dictum se contulit, cujus iter etiam Deus miraculis illustravit: nam Saccam ejusdem Insulae Urbem deveniens, aegrotos sanavit, aliaque quamplurima edidit miracula, et Incolae baptizati sunt. Demum cum multis floreret virtutibus: erat enim praeter caetera, ut jam abunde dictum est, abstinentia incredibili, jejuniis vigiliisque deditus et orationi ita intentus, ut precando a Deo quamplurima mirabiliter impetraverit: morbos enim insanabiles curavit, balneorum virtutes, et sedium montis, atque aquarum docuit, daemonum aestu agitatos liberavit, quinimo ejus virtus in daemonibus effugandis enituit. Senio jam pene confectus animam Deo reddidit quartodecimo Kalendas Julii: Ejus vero Corpus exanime genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus repertum, honorifico sepulchro conditum est, prout in Breviario Gallicano habetur. Porro ejusdem Festum in Siciliae Regno Clemens Papa VIII. sub duplici officii ritu celebrari concessit.

In III. Noct. Homilia S. Greg. in Evangel.
Euntes in Mundum universum, ***ut in Festo***
S. Franc. Xaverii, die 3. Decembris.

S. GALLICANI *Martyris.*

Dupl. Omnia de Comm. unius Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui B. Gallicanum Martyrem ad tui cognitionem mirabiliter perduxisti, et per eum novo Ecclesiam tuam charitatis exemplo illustrare dignatus es: concede propitius, ut ejusdem precibus, et imitatione, promissa misericordibus praemia consequamur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Gallicanus vir Consularis, et triumphali honore clarissimus; sua virtute, et militari gloria Constantini Augusti sibi gratiam conciliavit. Magis autem, quae Dei sunt, quaerens, a Sanctis Joanne, et Paulo coelesti luce perfusus, et Evangelii doctrina eruditus Jesu Christi fidem ore simul, atque opere profiteri coepit. Nam cum Sancto Hilarino ad Ostia Tiberina secedens, peregrinorum, atque infirmorum curae, et servituti se totum addixit, cujus rei fama toto Orbe divulgata, multi undique illuc confluentes videbant virum ex Patritio, et Consule lavantem Pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus sollicite ministrantem; denique tamquam Christo ipsi, minimis ejus, scilicet mendicis, et peregrinis officia etiam humillima exhibentem.

Lectio V.

His misericordiae operibus, quas Fratribus exhibuit, Patris coelestis misericordiam promeritus est, et passione Christo Filio Dei consociari. Cum enim Imperium impius Apostata Julianus adeptus esset, Gallicanus ex illa misericordiae Sede, et pauperum, ac peregrinorum hospitio pulsus Ale-

xandriam perrexit, ubi eum Raucianus Judex sacrificare Daemoniis, idest Æthnicorum Diis imperavit. Verum Christi Miles Judicis minas contemnens, nec curans illecebras, nullum honorem Idolis gentium, tamquam mortuis Simulacris, sed Deo vivo tribuendum docens, tormentis, et morti se paratum exhibuit. Itaque gladio percussus, vitam pauperum servitio nobilem glorioso martyrio cousummavit.

Lectio VI.

Ex Oratione S. Gregorii Nysseni.

Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto induc in domum tuam. Multam nobis hoc tempus affert nudorum, vagorumque copiam. Hospites, exulesque non desunt; ubique licet protensas opem implorantium manus aspicere. His aer sub dio tectum praebet. Porticus, et bivia, et partes fori magis deserta sunt hospitia: Nycticoracum, et noctuarum more in cavernis latitant. Pannosis, attritis, et laceratis teguntur indumentis. Agricolturae fructus est illis miserantium animi benignitas. Cibus, si quid ab accedente quopiam impetraverint. Potio eadem, quae brutis animantibus, nimirum fontes: Vagam, et agrestem traducunt vitam calamitatibus, et necessitate compulsi. His necessaria victui suppedita tu, qui jejunas. Erga Fratres calamitosos benignus esto; quod ventri subtrahis, tribue esurienti.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, suspiciens Jesus dixit: Homo quidam descendebat ab Jesusalem in Jerico, et incidit in Latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis, abierunt, semivivo relicto. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Nazianzeni.

Purgemur itaque per misericordiae officia, labesque, et sordes animae extergamus, ac dealbemur, alii ut nix pro misericordiae videlicet proportione; atque ut formidabilius aliquid dicam, si nulla est tibi confractio, neque livor, nec plaga tumens, nec ulla animae lepra, aut significationis tactus, aut candor, quae a lege quidem exigue curabantur, medicam autem Christi manum requiruut; at certe enim, qui salutis nostrae causa vulneribus, et languore affectus est, venerare. Veneraberis autem si te Christi membro benignum, atque humanum praebeas. Quod si te fortasse animarum nostrarum praedo, et tyrannus, vel ab Jerusalem in Jericho descendentem, vel alibi uspiam inermem, et imparatum offendens ita sauciavit, ut ne medicinam quidem exquiras, heu plagam sane gravissimam, calamitatemque altissime grassantem!

Lectio VIII.

At mihi quidem hoc quoque nomine necessaria esse benignitas, et misericordia erga pauperes videtur, ut iis, qui de illis ita sentiunt os obstruamus, nec inanibus verbis cedamus, crudelitatis legem adversus nosmetipsos sancientes. Caeterum omnium maxime divino mandato, et exemplo moneamur. Quodnam porro hoc mandatum est? at videte quaeso, quam constans sit, atque sincerum. Neque enim hominibus Spiritu Sancto afflatis sat fuit semel, atque iterum de pauperibus sermonem habuisse; nec quidam dumtaxat de his rebus verba fecerunt, reliqui minime; aut alii copiosius; alii parcius, velut de re non ita magna, nec admodum necessaria: verum et omnes in universum, et sedulo quisque vel primo, vel in primis ad eam rem nos hortantur, nunc admonentes, nunc comminantes, nunc exprobrantes, nonnumquam etiam nos, qui virtutis hujus munere funguntur, laudibus efferentes; nimirum, ut per admonitionis assiduitatem eo nos adducant, ut hoc mandatum exequamur.

Lectio IX.

Verum dixerit fortasse aliquis: haec pro pauperibus illis, et inopibus dicta sunt, qui injuria afficiuntur. Sit ita sane; nam de hoc litem nullam movebo. At hoc quoque tamen ad colenda humanitatis officia te exstimulet: Quorum enim, si quid injuriae eis inferatur, tanta ratio habetur, iisdem certe beneficio affectis amplior, et uberior est gratia. Nam si qui pauperem despicit, eum, a quo factus est ad iram concitat; non dubium est, quin Opificem honore afficiat, qui ipsius opus complectitur. Rursus cum audis: Pauper, et dives occurrerunt sibi, utrumque autem creavit Dominus, ne illum quidem pauperem, hunc autem divitem ab eo creatum intelligas, ex eoque in pauperem insurgendi ansam accipias: Nam Dei figmentum uterque est tametsi quod ad res externas attinet, dispari conditione sint. Haec te ad commiserationem, et charitatem inflectant.

COMMEMORATIONES

Omnium SS. Apost. et omnium SS. Martyrum faciendae in festo SS. Apostolorum Petri, et Pauli die 29. Junii.

In 1. Vesp. post orationem diei. Pro omnibus Ss. Apostolis.

Ant. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Oremus.

Exaudi nos Deus salutaris noster, et omnium Sanctorum Apostolorum tuorum tuere praesidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis.

Pro omnibus SS. Martyribus.

Antiph. Isti sunt Sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam.

℣. Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei:
℟. Et delectentur iu laetitia.

Oremus.

Deus, qui glorificaris in concilio SS. Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostrae, ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Per Domin.

Ad Laudes pro omnibus Ss. Apostolis Antiph.

Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel.
℣. In omnem torram exivit sonus eorum.
℟. Et in fines orbis terrae verba eorum.
Orat. Exaudi etc. *ut supr.*

Pro omnibus Ss. Martyribus Antiph.

Sancti tui, Domine, semper benedicant te, et gloriam Regni tui dicant.
℣. Mirabilis Deus in Sanctis suis.
℟. In Sanctis ejus laudate Deum.
Oratio. Deus, qui etc. *ut supra.*

In 2. Vesp. Pro omnibus SS. Apostolis.

Antiph. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis, dicit Dominus.
℣. Gloriosus in Sanctis suis, faciens mirabilia:
℟. Hic Deus meus, et glorificabo eum.

Oremus.

Exaudi nos Deus salutaris noster, et omnium Sanctorum Apostolorum tuorum tuere praesidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis.

Pro omnibus SS. Maryribus.

Antiph. Dico autem vobis amicis meis, ne timeatis ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

℣. Justi autem in perpetuum vivent:
℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Oremus.

Deus, qui glorificaris in concilio SS. Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostrae, ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Per Domin.

SS. VITI, MODESTI ATQUE CRESCENTIÆ *Martyrum.*

Antiphona. Istorum est enim.
℣. Lætamini in Domino XXV.
Alias Antiphona. Lux perpetua.
℣. Sancti et Justi, XX.

Oratio.

Da Ecclesiae tuae, quaesumus Domine, sanctis Martyribus tuis Vito, Modesto atque Crescentia intercedentibus, superbe non sapere, sed tibi placita humilitate proficere, ut prava despiciens, quaecumque recta sunt, libera exerceat charitate. Per Dominum.

Lectio II.

Vitus admodum puer inscio patre baptizatus est: quod cum ille rescivisset, nihil praetermisit, quo filium a Christiana religione removeret. Qua in voluntate permanentem, Valeriano judici verberibus castigandum tradidit. Sed nihilominus in sententia persistens, patri redditus est. Sed dum eum pater gravius punire cogitat, Vitus Angeli monitus comitibus Modesto et Crescentia, ejus educatoribus migrat in alienas terras: ibique eam sanctitatis laudem adeptus est, ut ejus fama ad Diocletianum perlata, ipsum Imperator accerseret, ut filium suum a daemone vexatum liberaret: quo liberato, cum ei amplissimis praemiis ingratus Imperator,

ut deos coleret, persuadere non potuisset, una cum Modesto et Crescentia, vinculis constrictum mittit in carcerem.

Lectio III.

Quos ubi constantiores esse comperit, demitti jubet in ingens vas liquato plumbo, ferventi resina ac pice plenum: in quo cum trium Hebraeorum puerorum more divinos hymnos canerent, inde erepti leoni obiiciuntur: qui prosternens se, eorum pedes lambebat. Quare inflammatus ira Imperator, quod multitudinem videbat miraculo commoveri, eos in catasta sterni jubet, et ita caedi eorum membra, atque ossa divelli. Quo tempore tonitrua, fulgura, magnique terraemotus fuere, quibus templa deorum corruerunt, et multi oppressi sunt. Eorum reliquias Florentia nobilis femina, unguentis conditas honorifice sepelivit.

Te Deum laudamus. etc.



IN FESTO

B. FRANCISCI DE HIERONYMO.

CONFESSORIS

Duplex minus.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. praeter, ea quae sequuntur.

ORATIO.

Deus, qui Beatum Franciscum, ad animarum salutem, eximium verbi tui praeconem effecisti: ejus nobis intercessione concede, ut legis tuae mandata et jugiter scrutemus in corde, et fideliter operibus execuamur. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Franciscus de Hieronymo in Tarentini agri oppido, cui Cryptaleae nomen; honesto loco natus, pia parentum cura institutus, ac coeli benedictione praeventus pueritiam egit innocentissimus moribus praestantem, et futurae sanctitatis judiciis conspicuam. Duodecimo aetatis anno in quorundam Evangelicorum Operatorum contubernium admissus, in catechizandis rudibus adhuc adolescens diligentem operam posuit, et Apostolico ministerio, ad quod Deus illum destinaverat, jam tum proludere visus est. Theologica studia Neapoli aggressus, et Sacerdotio initiatus in vitae suae rationes ad Evangelica consilia accomodavit, ut Sacerdotis

sancti nomen adeptus fuerit. Societatem Jesu ingressus, jactis in Tirocinio religiosae perfectionis, ardentissimae in Deum, et proximos charitatis, insignis patientiae, aliarumque virtutem fundamentis, quae majus in dies singulis incrementum accipiebant. Theologiae curriculum confecit, et solemni quatuor votorum professione sese obstringens, eximium regularis observantiae exemplar evasit. Pro sacra expeditione ad Japoniam, quam martyrii cupidus in votis habuit, Neapoli retentus, praefecturam Missionum jussu Praesulum accepit, quod non sine Dei numine factum eventus comprobavit.

Lectio V.

Etsi enim corpore erat gracili neque satis firma valetudine, ac praeterea carnem assiduis jejuniis, vigiliis, verberibusque macerabat, tamen tot onera in se suscipiens, quot ferendis plures simul vix pares essent, incredibile dictu est, quanta pro gloria Dei, quam unice quaerebat, egerit non solum Neapoli, sed in aliis quoque ejusdem regni Provinciis, quot labores, et aerumnas tulerit, quanto cum fructu in agro Dominico excolendo plus quadraginta annis desudaverit. Frequentes, et saepius plures eodem die habebat conciones per vivos, compita, et plateas, ad carceribus detendos, ad regiis triremibus mancipatos, ad milites contra circulatores impudentes, contra publicos quosvis peccatores, contra famae prostitutae mulierculas. Accedebant mirabilia signa; tremenda divinae ultimos adversus pervicaces documenta, scrutatio cordium, praedictio rerum futurarum, ejus corporis diversis in locis apparitio, gratia sanitatum, annona divinitus multiplicata, vox, etiam ex ore meretricis subita morte correptae extorta, quae se apud inferos esse palam denunciavit. Ex quo fiebat, ut vix unquam e superiori loco ad populum diceret, quin insignem aliquem peccatorem Christo lucrifaceret. Interdum etiam decem, nonnumquam quindecim meretriculae simul sua crimina deflentes in concione ad poenitentiam confugerunt.

Lectio VI.

Assidua ejus opera fuit in aegrotis, invisendis in moribundis ad mortem rite praeparatis, in concordia animorum dissidentium concilianda, in pauperibus ope, ac solatio sublevandis. Cummunionem, quam dicunt generalem, singulis cujuslibet mensis tertiis diebus Dominicis usque adeo promovit, ut saepe quindecim millia fidelium, aliquando viginti millia, aut eo amplius ad Eucharisticam mensam convenerint. Excercitiis spiritualibus ex Sancti Ignatii institutoris praescripto Sacerdotum caetus, virorum religiosorum et virginum Deo devotarum monasteria, puellarum caenobia, studentium juvenum collegia, et seminaria atque omne hominum genus mirifice excoluit. Gravissimas difficultates, et molestias, quas illi Doemon excitabat, invicta patientia superavit: nec semel maxillam percutientibus submisso animo alteram praebuit: quin et acerbissimos dolores brachio captivi Mahomedani, qui eum percusserat, a Deo ultore inflictos signo crucis repente cessare fecit, hominemque ad Christinam religionem adduxit. Deum in coelum a Deo evocatus placide efflavit animam in Neapolitana Professorum domo die undecima Maii anno millesimo septingentesimo decimo sexto, aetatis vero suae septuagesimo quarto Quem meritis, ac miraculis clarum Pius Septimus Pontifex Maximus in Beatorum numerum retulit.

IN III. NOCTURNO

Humilia in Evang. Sint lumbi vestri etc. *ut in Comm. Conf. non Pontif.*

DECRETUM

NEAPOLITANUM.

Suprascriptas Lectiones II. Nocturni proprias, pro Officio Beati Francisci de Hieronymo ab Em. et Rever. D. Card. de Somalia SS. Domini Nostri Pii VII. Pont. Max. in Urbe Vicario Sacrorumque Rituum Congregationi Praefecto, et a R. P. D. Hieronymo Napulionio Fidei Promotore revisas, idem SS. Dominus Noster, humillime supplicante Postulatore Causae Canonizationis ipsius Beati Francisci de Hieronymo, et memorato Promotore Fidei referente, ab omnibus, quibus per Litteras in forma Brevis pro Beatificatione supradicti Beati expeditas jus datum fuit Officium in illius honorem recitandi, in eodem Officio legi posse benigne concessit. Die 4. Junii 1806.

Julius M. Card. de Somalia S. R. C. Praefectus Loco ✠ Sigilli.

J. de Carpineo S. R. C. Secretarius.

IN FESTO

SS. REDEMPTORIS

Duplex secundae Classis cum Octava.

AD VESPERAS.

Antiph. Virgam virtutis suae emittet Dominus ex Sion, et regnabit in saeculum saeculi.

Psalmus 109

DIxit Dominus Domino meo: * sede a dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus Sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum: * tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, * confregit in die irae suae Reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri.

Antiph. Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, et regnabit in saeculum saeculi.

Antiph. Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in aeternum testamentum suum.

Psalmus 110

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo, * in consilio justorum, et congregatione.

Magna opera Domini: * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio, et magnificentia opus ejus: * et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et Miserator Dominus: * escam dedit timentibus se.
Memor erit in saeculum testamenti sui: * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.
Ut det illis hereditatem Gentium: * opera manuum ejus veritas, et judicium.
Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in saeculum saeculi: * facta in veritate, et aequitate.
Redemptionem misit populo suo: * mandavit in aeternum testamentum suum.
Sanctum, et terribile nomen ejus: * initium sapientiae timor Domini.
Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio ejus manet in saeculum saeculi.
Gloria Patri.
Antiph. Redemptionem misit Dominus populo suo: * mandavit in aeternum testamentum suum.
Antiph. Misericordia mea, et refugium meum Dominus, susceptor meus, et liberator meus.

Psalmus 115.

Credidi propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.
Ego dixi in excessu meo: * omnis homo mendax.
Quid retribuam Domino, * pro omnibus, quae retribuit mihi.
Calicem salutaris accipiam; * et nomen Domini invocabo.
Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus; * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.
O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et filius ancillae tuae.
Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.
Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio cui Jerusalem.
Gloria Patri.
Antiph. Misericordia mea, et refugium meum Dominus: * susceptor meus, et liberator meus.
Antiph. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima in Domino

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus.
Gloria Patri.

Antiph. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Antiph. In quacumque die invocavero Te, exaudies me:

Psalm. 137.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, et veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi, Domine, omnes Reges terrae: * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: *

et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine misericordia tua in saeculum; opera manuum tuarum ne despicias.

Gloria Patri.

Antiph. In quacumque die invocavero te, exaudies me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Capitulum. *Tobiae 3.*

Benedictum Nomen tuum, Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris: misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te.

Hymnus.

CReator alme siderum,
Æterna lux credentium,
Jesu Redemptor omnium,
Intende votis supplicum,
Commune, qui Mundi nefas
Ut expiares, ad Crucem
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima.
Cujus potestas gloriae,
Nomenque cum primum sonat:
Et Caelites, et inferi
Tremente curvantur genu,
Qui Daemonis ne fraudibus
Periret Orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.
Te deprecamur ultimae
Magnum diei judicem,
Armis supernae gratiae
Defende nos ab hostibus.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula, Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes Horas.

℣. Redemisti nos, Domine, in Sanguine tuo.
℟. Et fecisti nos Deo nostro Regnum.

Ad Magnificat.

Antiph. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum, alleluja.

Oratio

Deus, qui Unigenitum tuum, Mundi Redemptorem constituisti, et per eum devicta morte nos misericorditer ad vitam reparasti; concede, ut haec beneficia recolentes Tibi perpetua charitate adhaerere, et ejusdem Redemptionis fructum percipere mereamur. Per eumdem Dominum etc.

Deinde fit commem. Domin. occur.

Ad Matutinum.

Invitat. Redemptorem saeculorum, ipsum Regem Angelorum: Adoremus Dominum.

Psalm. 94.

Venite exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro: praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Redemptorem saeculorum, ipsum Regem Angelorum: * Adoremus Dominum.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitudines montium ipse conspicit.

Adoremus Dominum.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus: venite adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia

ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus ejus, et oves pascuae ejus.

Redemptorem saeculorum, ipsum Regem Angelorum: * Adoremus Dominum.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea.

Adoremus Dominum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi: semper hi errant corde: ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Redemptorem saeculorum, ipsum Regem Angelorum, * Adoremus Dominum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Adoremus Dominum.

Redemptorem saeculorum, ipsum Regem Angelorum: * Adoremus Dominum.

Hymnus.

Rerum Creator optime,
Rectorque noster aspice,
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.
Mentes, manusque tollimus
Propheta sicut noctibus
Nobis gerendum praecipit,
Paulusque gestis censuit.
Te, sancte Christe, poscimus:
Ignosce culpis omnibus,
Ad confitendum surgimus,
Morasque noctis rupimus.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Psalmus 3.

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exsurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine caussa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri.

Antiph. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Antiph. Domine, Dominus noster: quam admirabile est tuum in universa terra.

Psal. 8.

Quoniam elevata est magnificentia tua, * super Coelos.

Ex ore infantium, et lactentium, perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, et ultorem.

Quoniam videbo Coelos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum: * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres Cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Gloria Patri.

Antiph. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Antiph. Dominus in templo sancto suo: Dominus in Cœlo sedes ejus.

Psalmus 10.

In Domino confido: quomodo dicitis animae meae: * transmigra in montem sicut passer.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam, quae perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in Cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * aequitatem vidit vultus ejus.

Gloria Patri.

Antiph. Dominus in templo sancto suo: Dominus in Cœlo sedes ejus.

℣. Redime me Domine, et miserere mei.

℟. In Ecclesiis benedicam te Domine.

Pater noster.

Absol. Exaudi Domine.

Bened. Benedictione perpetua.

Lectio I.

De Isaia Propheta. *Cap. 51.*

Audite me, qui sequimini quod justum est, et quaeritis Dominum: attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis. Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus: et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium, et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. Attendite ad me, popule meus, et tribus mea me audite: quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est Justus meus, egressus est Salvator meus, et brachia mea populos judicabunt: me insulae expectabunt, et brachium meum sustinebunt. Tu autem etc.

℟. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum: et plena erat omnis terra majestate ejus: * Et ea, quae sub ipso erant, replebant templum.

℣. Seraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae alteri — Et ea etc.

Ad Bened. Unigenitus Dei Filius.

Lectio II.

Levate in Cœlum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: quia Cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut haec interibunt: Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. Audite me qui scitis Justum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum. Tu autem etc.

℟. Aspice Domine de sede sancta tua, et cogita de nobis, inclina Deus meus aurem tuam, et audi: * Aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram.

℣. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph — Aperi etc.

Ad Bened. Spiritus Sancti.

Lectio III.

Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus saeculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium, et laetitiam tenebunt, fugiet dolor, et gemitus. Ego, ego ipse consolabor vos. Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit Cœlos, et fundavit terram: et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus, qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum, ubi nunc est furor tribulantis? Cito veniet gradiens ad aperiendum, et non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus. Ego autem sum Dominus Deus tuus. Tu autem etc.

℟. Deus, qui sedes super thronum, et judicas aequitatem, esto refugium pauperum in tribulatione: * Quia tu solus laborem, et dolorem consideras.

℣. Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor — Quia tu — Gloria Patri — Quia tu etc.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Psalm. 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum; * et omne consilium tuum confirmet.

Laetabimur in salutari tuo: * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas : * nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de Cœlo sancto suo : * in petentatibus salus dexterae ejus

Hi in curribus, et hi in equis : * nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, ceciderunt : * nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine salvum fac Regem : * et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Gloria Patri.

Antiph. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Antiph. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes in Jacob.

Psalm. 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus : * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini : * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales : * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Gloria Patri.

Antiph. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes in Jacob.

Antiph. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

Psalm. 45.

Deus noster refugium, et virtus: * adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: * sanctificavi tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus non commovebitur: * adjuvabit eum Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt Gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini; quae posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri.

Antiph. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.

℟. Visita nos in salutari tuo — Pater noster etc.

Absol. Ipsius pietas. *Ad Bened.* Deus Pater.

Lectio IV.

Sermo Sancti Leonis Papæ.

Serm. 1, de Jejunio decimi Mensis, et collectis.

Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris; et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi

in quodam speculo, Divinæ benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in Secundo. Caussa autem reparationis nostræ non est, nisi misericordia Dei: quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret, et tenebras ignorantiae nostrae suae veritatis luce discuteret. Tu autem etc.

℟. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea.
℣. Dominus pars hereditatis meæ, et calicis mei — Propter hoc etc. *Ad Bened.* Christus perpetuae.

Lectio V.

Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat: et ut in nobis formam suæ bonitatis inveniat, dat unde ipsi quoque, quod operatur, operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suæ charitatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus. Nam si inter homines ea demum firma amicitia est, quam morum similitudo sociarit, cum tamen parilitas voluntatum sæpe in reprobos tendat affectus, quantum nobis optandum, atque nitendum est, ut in nullo ab iis, quæ Deo sunt placita, discrepemus. De quo dicit Propheta: Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus; quia non aliter nobis erit dignitas Divinae Majestatis, nisi imitatio fuerit voluntatis. Tu autem etc.

℣. Intuere Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis: sedet in tristitia Domina Gentium: * Non est qui consoletur eam, nisi tu Deus noster.
℟. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus — Non est etc.
Ad Bened. Ignem sui amoris.

Lectio VI.

Dicente itaque Domino: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua; et diliges proximum tuum, sicut teipsum, suscipiat fidelis anima Auctoris sui, atque Rectoris immarcescibilem charitatem, totamque se etiam ejus subjiciat voluntati, in cujus operibus, atque

judiciis nihil vacat a veritate justitiæ, nihil a miseratione clementiæ. Quoniam etsi magnis quis laboribus, et multis fatigetur incommodis, bona est illi caussa tolerandi, qui se adversis vel corrigi intelligit, vel probari. Hanc igitur immensæ largitatis clementiam ostendere dignatus est Deus erga Populum Venetiarum dira tunc temporis pestilentia vexatum; sed voto facto invisendi quotannis Templum in honorem Sanctissimi Redemptoris a fundamentis Publicæ magnificentia Pietatis extructum, non multo post extincto morbo summa totius Civitatis lætitia, pristinæ incolumitati se vidit restitutum. Ut autem accepti beneficii recordatio, et cultus erga Servatorem nostrum augeretur in dies, Officium proprium, et Missam sub titulo Sanctissimi Redemptoris, quæ Innocentius decimus tertius Romanus Pontifex omnibus utriusque sexus Christi fidelibus Venetiis existentibus, qui ad Horas Canonicas tenentur singulis annis Dominica tertia Julii recurrente recitandas concessit, Benedictus decimus tertius, itidem Romanus Pontifex ad totum Statum, et Dominium Venetum extendit. Tu autem etc.

℟. Ornaverunt faciem Templi coronis aureis, et dedicaverunt Altare Domino: * et facta est lætitia magna in populos.

℣. In Hymnis, et confessionibus benedicebant Dominum — Et facta — Gloria Patri — Et facta etc.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

Psalm. 60.

Exaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.

A finibus terræ ad te clamavi: * dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea; * turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: * protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: * dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies Regis adjicies : * annos ejus usque in diem generationis, et generationis.

Permanet in æternum in conspectu Dei : * misericordiam, et veritatem ejus quis requiret?

Sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Gloria Patri.

Antiph. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

Antiph. Deus meus, Salvator meus, salutare meum, et spes mea in æternum.

Psalmus 74.

Confitebitur tibi Deus : * confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua : * cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra, et omnes, qui habitant in ea : * ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis, nolite inique agere : * et delinquentibus : nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum : * nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus : * quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat : * quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.

Et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen faex ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terrae.

Ego autem annuntiabo in sæculum : * cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam : et exaltabuntur cornua justi.

Gloria Patri.

Antiph. Deus meus, Salvator meus, salutare meum, et spes mea in aeternum.

Antiph. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

Psalm. 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea, * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus Deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri.

Antiph. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

℣. Notum fecisti in Gentibus virtutem tuam.

℟. Redemisti in Brachio tuo populum tuum.

Pater noster.

Absol. A vinculis etc.

Ad Bened. Evangelica lectio.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore : Dixit Jesus Nicodemo : Nemo ascendit in Cœlum , nisi qui descendit de Cœlo , Filius hominis , qui est in Cœlo . Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Ex Tractatu in cap. 3. Joann.

Nemo ascendit in Cœlum , nisi qui de Cœlo descendit. Descendit enim , et mortuus est , et ipsa morte liberavit nos a morte. Morte occisus , mortem occidit. Et nostis, fratres , quia mors ista per Diaboli invidiam intravit in Mundum. Deus mortem non fecit , Scriptura loquitur; nec laetatur , inquit , in perditione vivorum ; creavit enim , ut essent omnia. Sed quid ibi ait ? Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ad mortem a Diabolo propinatam non veniret homo vi adactus ; non enim cogendi potentiam Diabolus habebat , sed persuadendi versutiam. Si non consentires , nihil invexerat Diabolus ; consentio tua, o homo , te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati , et ex immortalibus mortales facti . Ab Adam omnes homines mortales ; Jesus autem Filius Dei , Verbum Dei , per quod facta sunt omnia , Unicus , æqualis Patri , mortalis factus est , quia Verbum Caro factum est , et habitavit in nobis. Si ergo mortem suscepit , et mortem suspendit in Cruce , de ipsa morte liberantur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos , commemoravit illud Dominus . Tu autem etc.

℟. Laudabilis populus , * Quem Dominus exercituum benedixit dicens : opus manuum mearum tu es , hereditas mea Israel.

℣. Beata gens , cujus est Dominus Deus , populus electus in hereditatem. Quem Dominus etc.

Ad Bened. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Et sicut, inquit, Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in Cruce. Quia enim a serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentum lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, ut nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors vitæ. Nonne vita Chistus? Et tamen mortuus est Christus. Interim modo, fratres, ut a peccuto sanemur, Christum Crucifixum intueamur; quia sicut Moyses, inquit, exaltavit serpentem in eremo: ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur Fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur a morte ad vitam temporalem; hic autem ait, ut habeant vitam æternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem, et rem ipsam: figura praestabat vitam temporalem: res ipsa, cujus illa figura erat, præstat vitam æternam. Tu autem etc.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus.

℣. Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum; et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt ⩵ Sanctus ⩵ Gloria Patri ⩵ Plena etc.

Ad Bened. Per Evangelica dicta.

Lectio IX. legitur de Homilia Dominicae occurr.
Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra.

Psalm. 92.

Dominus regnavit, decorem indutus est: * indutus est Dominus fortitudinem, et praecinxit se.

Etenim firmavit orbem terrae, * qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc: * a saeculo tu es.

Elevaverunt flumina, Domine: * elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos, * a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, * mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

Gloria Patri.

Antiph. Cantate Domino, quoniam magnice fecit: annuntiate hoc in universa terra.

Antiph. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam: quia factus est mihi in salutem, alleluja.

Psalm. 99.

Jubilate Deo omnis terra: * servite Domino in laetitia

Introite in conspectu ejus, * in exultatione.

Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus: * ipse feci nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves pascuae ejus: * introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen ejus: quoniam suavis est Dominus, in aeternum misericordia ejus, * et usque in generationem, et generationem veritas ejus.

Gloria patri.

Antiph. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam: quia facius est mihi in salutem, alleluja.

Antiph. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

Psalm. 62.

Dñs Deus meus. * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, et invia, et inaquosa: * sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas; * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea: * et labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhaesit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam, introibunt in inferiora terrae: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero laetabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psalm. 66.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur, et exultent Gentes: * quoniam judicas populos in aequitate; et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, * et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria Patri.

Antiph. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

Antiph. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus.

Canticum trium puerorum. *Dan. 3.*

Benedicite omnia opera Domini Domino: * laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: * benedicite Coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super caelos sunt, Domino, * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol, et luna Domino: * benedicite Stellae Coeli Domino.

Benedicite omnis imber, et ros Domino: * benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis, et aestus Domino: * benedicite frigus, et aestus Domino.

Benedicite rores, et pruina Domino: * benedicite gelu, et frigus Domino.

Benedicite glacies, et nives Domino: * benedicite noctes, et dies Domino.

Benedicite lux, et tenebrae Domino: * benedicite fulgura, et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet, et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes, et colles Domino: * benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: * benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete, et omnia, quae moventur in aquis Domino: * benedicite omnes volucres Coeli Domino.

Benedcite omnes bestiae, et pecora Domino: * benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: * laudet: et superxaltet eum in saecula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: * benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus, et animae justorum Domino: * benedicite sancti, et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: * laudate, et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu: * laudemus, et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento Caeli: * et laudabilis; et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

Hic non dicitur Gloria Patri, *neque* Amen.

Antiph. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus.

Antiph. Exulta, et lauda habitatio Sion: quia magnus in medio sui Sanctus Israel.

Psalm. 148.

Laudate Dominum de Caelis: * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum Sol, et Luna: * laudate eum omnes Stellae, et lumen.

Laudate eum Caeli Caelorum: * et aquae omnes, quae super Caelos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit eà in aeternum, et in saeculum saeculi: * praeceptum posuit, et non praeteribit.

Laudate Dominum de terra, * dracones, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: * quae faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles; * ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiae, et universa pecora: * serpentes, et volucres pennatae.

Reges terrae, et omnes populi: * principes, et omnes judices terrae.

Juvenes, et virgines: senes cum junioribus laudent nomen Domini: * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super Caelum t et terram: * et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus; * filiis Israel, populo appropinquanti sibi

Psalmus 149.

Cantate Domino canticum novum : * laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Laetetur Israel in eo, qui fecit eum : * et filii Sion exultent in Rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo : * et exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria : * laetabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum ; * et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, * increpationes in populis.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus : * et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum : * gloria haec est omnibus Sanctis ejus.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in Sanctis ejus : * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

laudate eum in virtutibus ejus * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae : * laudate eum in psalterio, et cithara.

Laudate eum in tympano, et choro : * laudate eum in cordis, et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, * laudate eum in cymbalis jubilationis : * omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri.

Antiph. Exulta et lauda habitatio Sion : quia magnus in medio tui Sanctus Israël.

Capitulum. Tobiae 3.

Benedictum Nomen tuum, Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

Hymnus.

Salutis humanae Sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor
Et casta lux amantium.
Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina:
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres.
Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula, Amen.

℣. Domine refugium factus es nobis.
℟. A generatione, et progenie.

Ad Bened.

Ant. Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos: sustinuimus eum, exultabimus, et laetabimur in salutari ejus: alleluja.

Canticum Zachariae. Luc. 1.

Benedictus Dominus Deus Israel: * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.

Et erexit cornu salutis nobis: * in domo David pueri sui,

Sicut locutus est per os Sanctorum: * qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris: * memorari Testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem nostrum, * daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate, et justitia coram ipso: * omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: * praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri: * in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent: * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri.

Antiph. Ecce Deus etc.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum tuum, Mundi Redemptorem constituisti, et per eum devicta morte nos misericorditer ad vitam reparasti: concede, ut haec beneficia recolentes Tibi perpetua charitate adhaerere, et ejusdem Redemptionis fructum percipere mereamur. Per eumdem Dominum etc.

Deinde fit commem. Domin. occurr.

Ad Primam. ℟. *brev.* Christe Fili.

℣. Qui natus es de M. Virgine.

Ad Tertiam. Antiph. Ecce Deus.

Capitulum. Benedictum nomen tuum.

℟. *brev.* Redime me Domine: * Et miserere mei = Redime.

℣. In Ecclesiis benedicam te Domine = Et miserere mei. Gloria Patri = Redime.

℣. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui.
℣. Visita nos in salutari tuo.

Oratio ut supra.

Ad Sextam Antiph. Haurietis aquas.

Capitulum 1. *ad Cor. c.* 1.

Ex ipso autem vos estis a Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia á Deo, et justitia, ac sanctificatio, et Redemptio.

℟. *brev.* Memento nostri Domine, * In beneplacito populi tui = Memento.
℣. Visita nos in salutari tuo = In beneplacito.
Gloria Patri = Memento.
℣. Redemisti nos Domine in sanguine tuo.
℟. Et fecisti nos Deo nostro Regnum.

Oratio ut supra.

Ad Nonam, Antiph. Exulta, et lauda.

Capitulum. *Apoc.* 4.

Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in Sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro Regnum.

℟. *brev.* Notam fecisti in populis * Virtutem tuam = Notam.
℣. Redemisti in brachio tuo populum tuum. Virtutem tuam
Gloria Patri = Notam.
℣. Domine refugium factus es nobis.
℟. A generatione, et progenie.

Oratio ut supra.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis.

Ad Magnificat.

Antiph. Regnum tuum Regnum omnium saeculorum, et Dominatio tua in omni generatione, et generationem, alleluja.

Oratio, ut supra.

Deinde fit comm. Dominicae occurr.

SECUNDA DIE

Non impedita. Infra Octavam SS. Redempt.

In I. Nocturno, Lect. de Script. occur.

In II. Nocturno. Absolut. Ipsius pietas etc.

Ad Bened. Deus Pater omnipotens.

Lectio IV.

Sermo Sancti Laurentii Justiniani.

In Festo S. Georgii Mart.

Mediator noster sicut novus homo in mundo apparuit, ita nova praecepta induxit hominibus, quae quamvis ardua, rationabilia tamen esse probantur. Arduum quippe est Crucem quotidie tollere, et post Dominum ambulare. Arduum est odisse Patrem, et Matrem, Fratres, et Sorores, Propinquos, et Filios, adhuc etiam et animam suam. Difficilia profecto sunt illa, et humanum vivendi transcendunt usum. Hoc antiqua nescierunt tempora, quoniam naturae supergrediuntur ordinem. Gratiae conveniunt statui, in quo

manifestantur Divina, promittuntur caelestia, atque praecelsa exhibentur. Latorem attende gratiae, et consiliorum Praeceptorem; quid dixerit, quidve in se ipse perfecerit, diligenter observa. Illum vis nosse! Joannem in Evangelio eidem Testimonium perhibentem audi: Lex (inquit) per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Tu autem etc.

℟. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

℣. Dominus pars hereditatis meae, et Calicis mei = Propter hoc etc.

Ad Bened. Christus perpetuae.

Lectio V.

Hic est, qui in spiritu veniens, spiritualia mandata instituit, docuitque, ut renuntiaremus omnibus, si ejus cuperemus esse discipuli. Verum, ut quod instruebat verbo, etiam indicaret exemplo; quiquid docuit, ipse perfecit, atque ratione firmavit. Egit prudenter, ut Divinam decebat Sapientiam, quae in carne ideo venerat, ut repararet hominem, et reformaret per gratiam, quod per culpam erat amissum. Noverat opus suum ipse quod fecerat, quam pronum esset ad lapsum; quam caecum ad lucem, quam tardum ad rationem, quamque retineretur ad bonum. Hinc illum mercede allexit, provocavit exemplo, atque erudivit sapienter, ut Praeceptoris minime negligeret obtemperare mandatis. Erudivit, inquam, per fidem, per Passionis tollerantiam provocavit, atque hominis concupiscentiam ea caelestium promissione illexit. Tu autem etc.

℣. Intuere Domine: quia facta est desolata civitas plena divitiis; sedet in tristitia Domina Gentium: * Non est, qui consoletur eam, nisi tu Deus noster.

℣. Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus = Non est etc.

Ad Bened. Ignem sui amoris.

Lectio VI.

Narrat Divinus Sermo, Deum formasse hominem de limo terrae, ne alium corporis sui, quam Deum, venerare-

tur auctorem, discereíque, quid esset, ne de se superbiendo praesumeret, qui se de limo vilissimo sciret esse plasmatum. Ipse quoque, qui corporis condidit, animam inspiravit, quae (videlicet) ipsum vivificaret corpus, rationesque polleret, per quam Opificem agnosceret suum, diligeret; coleret, laudaretque. Clamat igitur innata hominis ratio, ut illum ex toto corde, ex tota anima diligat, eidemque totis viribus famuletur, a quo gratis non solum est conditus, verum etiam reformatus, atque redemptus. Factum quidem est per gratiam: reformatus per aquam, redemptus autem per Sanguinem. Hic est (inquit Joannes), qui venit per aquam, et Sanguinem Jesus Christus, non in aqua tantum, sed in aqua, et in Sanguine. Tu autem etc.

℟. Ornaverunt faciem Templi coronis aureis, et dedicaverunt Altare Domino: * Et facta est laetitia magna in populo,

℣. In Hymnis, et confessionibus benedicebant Dominum — Et facta — Gloria Patri — Et facta etc.

IN III. NOCTURNO.

Absol. A vinculis etc.
Ad Bened. Evangelica Lectio etc..

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. 3.*

In illo tempore: Dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis, qui est in Cœlo. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.
Ex Tract. 12. in Joannem circa medium.

Ecce hic erat, et in Cœlo erat: hic erat Carne, in Cœlo erat Divinitate, imo ubique Divinitate. Natus de Matre, non recedens a Patre. Duæ Nativitates Christi intelliguntur, una Divina, altera humana: una, per quam efficeremur; altera per quam reficeremur. Ambae mirabiles, illa sine

Matre, ista sine Patre; sed quia de Adam Corpus acceperat, quia Maria de Adam, ipsum quoque Corpus suscitaturus erat: Terrenum quiddam dixerat: Solvite Templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud. Cœleste autem quiddam dixit: nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu, non videbit Regnum Dei. Eja, Fratres, Deus voluit esse Filius hominis, et homines voluit esse filios Dei. Ipse descendit propter nos, nos ascendamus propter ipsum. Solus enim descendit, et ascendit, qui hoc ait: Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo. Non ergo ascensuri sunt in Cœlum, quos facit filios Dei? Ascensuri sunt plane. Hæc nobis promissio est, erunt æquales Angelis Dei. Tu autem etc.

℟. Laudabilis Populus, * Quem Dominus exercituum benedixit dicens: opus manuum mearum tu es, hereditas mea Israel.

℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus; populus electus in hereditatem. Quem Dominus etc.

Ad Bened. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Quomodo ergo nemo ascendit, nisi qui descendit? Quia unus descendit, et unus ascendit. De ceteris quid intelligendum, nisi quia membra ejus erunt, ut unus ascendat? Propterea sequitur: Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui de Cœlo descendit Filius hominis, qui est in Cœlo. Miraris, quia hic erat, et in Cœlo? Tales fecit discipulos suos. Paulum audi Apostolum dicentem: Nostra enim conversatio in Cœlis est. Si homo Paulus Apostolus ambulabat carne in Terra, et conversabatur in Cœlo, Deus Cœli, et terræ non poterat esse, et in Cœlo, et in terra? Si ergo nemo, nisi ille descendit, et ascendit, quæ spes est in ceteris: Ea spes est ceteris, qua ille propterea descendit, et ascendit, ut in illo, et cum illo unum essent, qui per illum ascensuri essent. Non dicit, et seminibus, ait Apostolus, quasi in multis, sed tamquam in uno, et Semini tuo, qui est Christus. Et fidelibus ait: Vos autem Christi. Si autem Christi, ergo Semen Abrahæ estis. Quod dixit unum, hoc dixit omnes nos esse. Ideo in Psalmis aliquando plures cantant, ut ostendatur, quia de pluribus fit

unus; aliquando unus cantat, ut ostendatur quid fiat de pluribus. Tu autem etc.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.: * Plena est omnis terra gloria ejus.

℣. Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt — Sanctus — Gloria Patri — Plena etc.

Ad Bened. Ad Societatem.

Lectio IX.

Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui de Cœlo descendit; Ecce volumus esse tui, dicebant Paulo. Et ille, nolo sitis Pauli; sed ejus estote, cujus est nobiscum Paulus. Descendit enim, et mortuus est, et ipsa morte liberavit nos a morte. Morte occisus, mortem occidit. Et nostis, Fratres, quia mors ista per Diaboli invidiam intravit in Mundum. Deus mortem non fecit, Scriptura loquitur: Nec lætatur, inquit, in perditione vivorum; creavit enim, ut essent omnia. Sed quid ibi ait? Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ad mortem a Diabolo propinatam non veniret homo vi adactus; non enim cogendi potentiam Diabolus habebat, sed persuadendi versutiam. Si non consentires, nihil invexerat Diabolus. Consentio tua, o homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, et ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales. Jesus autem Filius Dei, Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, Unicus, æqualis Patri, mortalis factus est, quia Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis. Si ergo mortem suscepit, et mortem suspendit in Cruce, de ipsa morte liberantur mortales. Tu autem etc.

Te Deum.

TERTIA DIE

Non impedita. Infra Oct. SS. Redemptoris.

In I. Nocturn. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Absol. Ipsius pietas etc.

Ad Bened. Deus Pater omnipotens.

Lectio IV.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

De temp. tom. 10. Fer. 3. post Dominicam Pass. vers. finem.

Est autem misericordia abundantissima, et larga ejus benevolentia, qui nos Sanguine Filii sui redemit, cum propter peccata nostra nihil essemus. Nam ipse aliquid magnum fecit, cum hominem ad imaginem, et similitudinem suam creavit. Sed quia nos nihil fieri voluimus peccando, et traducem mortalitatis de Parentibus duximus, de massa peccati, massa iræ facti sumus, placuit tamen illi per misericordiam suam redimere nos tanto pretio: dedit pro nobis Sanguinem Unici sui innocenter nati, innocenter viventis, innocenter mortui. Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire, quos emit. Non emit quos perdat; sed emit quos vivificet. Si peccata nostra superant nos, pretium suum non contemnit. Deus pretium magnum dedit, nec tamen nobis tantum de ipsius misericordia blandiamur, si non fuerimus conati adversus peccata nostra. Nec si aliqua maxime capitalia fecerimus, speramus ita futuram esse misericordiam, ut ei conjungatur iniquitas. Tu autem etc.

℟. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

℣. Dominus pars hereditatis meæ, et calicis mei — Propter hoc etc.

Ad Bened. Christus perpetuæ.

Lectio V.

Numquid enim, et eos, qui nihil egerunt, quemadmodum correcti vixerunt, sed in pertinacia, et duritia animi permanserunt, accusaverunt etiam Deum, defendendo peccata sua, ibi constituturus est, ubi constituit Sanctos Apostolos, Prophetas, Patriarchas, et Fideles suos bene de se meritos, sibi servientes, ambulantes in castitate, modestia, humilitate, eleemosynas facientes, ignoscentes quod a quoquam permissi sunt? Talis est enim via Justorum,

talis est via Sanctorum tenentium Deum Patrem, tenentium Ecclesiam Matrem; nec illum Parentem, nec istam offendentes, sed in amore utriusque Parentis viventes, et ad hereditatem æternam properantes; non laeso Patre, non læsa Matre, datur unicuique hereditas. Quia duo parentes nos genuerunt ad mortem; duo parentes nos genuerunt ad vitam. Parentes, qui nos genuerunt ad mortem Adam est, et Eva: Parentes, qui nos genuerunt ad vitam Christus est, et Ecclesia. Et Pater meus, qui me genuit ad mortem, Adam mihi fuit; et Mater mea Eva mihi fuit. Nati sumus secundum illam progeniem carnis ex munere quidem Dei, quia et istud munus non est alterius, sed Dei: quia tamen, Fratres, quomodo nati sumus? Certe ut moriamur. Tu autem etc.

℣. Intuere, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis: sedet in tristitia Domina Gentium: * Non est qui consoletur eam, nisi tu Deus noster.

℟. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus — Non est etc.

Ad Bened. Ignem sui amoris.

Lectio VI.

Et habemus hereditatem promissam a Christo vitam æternam, secundum quod Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis. Nutritus crevit, passus, mortuus, resuscitatus accepit hereditatem Regnum Cœlorum. In ipso homine accepit resurrectionem, et vitam æternam, in ipso homine accepit, in Verbo autem non accepit: quia incommutabiliter manet ab æterno in æternum. Quia ergo accepit resurrectionem, et vitam aeternam caro illa, quæ resurrexit, et vivificata ascendit in Cœlum, hoc nobis promissum est. Ipsam hereditatem expectamus vitam æternam. Adhuc enim non totum corpus accepit, quia Caput in Cœlo est, membra adhuc in terra sunt: Nec caput solum accepturum est hereditatem, et Corpus relinquetur. Totus Christus accepturus est hereditatem. Totus secundum hominem, id est Caput, et Corpus. Membra ergo Christi sumus, speremus hereditatem: quia cum ista omnia transierint, hoc bonum accepturi sumus, quod non transibit; et hoc malum evasuri, quod non transibit; Æterna sunt enim utraque.

Non enim aliquid non aeternum promisit suis, nec aliquid temporale minatus est impiis. Quomodo Vitam, Beatitudinem, Regnum, Hereditatem sempiternam sine fine promisit Sanctis; sic ignem aeternum minatus est impiis. Si quod promisit, nondum amamus, saltem quod minatus est, timeamus. Tu autem etc.

℟. Ornaverunt faciem Templi coronis aureis, et dedicaverunt Altare Domino: * Et facta est laetitia magna in populo.

℣. In Hymnis, et confessionibus benedicebant Dominum — Et facta. Gloria Patri — Et facta etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Absolut. A vinculis etc.

Ad Bened.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. 3.*

In illo tempore: Dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis, qui est in Cœlo. Et reliqua.

Homilia S. Maximi Episcopi.

De Pass. et Cruce Christi Domini Nostri.

Legimus in veteri Testamento, cum Moyses Sanctus Filios Israel de captivitate Ægypti produxisset, atque idem Populus in deserto gravi a Serpentibus incursione laboraret, nec aliqua illis armorum defensio posset obsistere, tunc Sanctum Moysem divino repletum Spiritu, Serpentem aeneum affixum ligno inter medias morientium erexisse turbas, et mandasse Populo, ut de illo signo spem gereret sanitatis, atque hac de re tantam medicinam contra morsum aspidum provenisse, ut quisquis vulneratus in illam Serpentis Crucem, aut respiceret, aut speraret, statim remedium salutis acciperet. Cujus facti etiam Dominus in Evangelio meminit dicens: Sicut

Moyses exaltavit Serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis. Unde si affixus Serpens ligno Filiis Israel contulit sanitatem, quanto magis salutem praestat Populis Dominus in patibulo crucifixus? Et si figura tantum profuit, quantum prodesse credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Tu autem etc.

℟. Laudabilis populus, * Quem Dominus exercituum benedixit dicens: opus manuum mearum tu es, haereditas mea Israël.

℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus, populus electus in hereditatem. Quem Dominus etc.

Ad Bened. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Recte plane, ut quia primus apud Deum peccaverat Diabolus, primus Crucis sententia feriretur: In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum; ut quia homo in Paradiso per arborem concupiscentiae deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem salvaretur, atque eadem materia, quae caussa mortis fuerat, esset remedium sanitatis. Deinde post Serpentem in Salvatore homo ipse crucifigitur, scilicet ut post auctorem puniatur, et facinus: Per primam enim Crucem vindicatum est in Serpentem, per secundam in venena Serpentis; hoc est, primum auctor ipse punitur, deinde ejus malignitas condemnatur. Virus enim quod persuasione sua in hominem transfuderat, nunc rejicitur, nunc curatur; nam cum homo passioni addicitur, non morti traditur, sed mortis in eo facinus emendatur. Tu autem etc.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus.

℣. Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt — Sanctus — Gloria Patri — Plena etc.

Ad Bened. Ad societatem etc.

Lectio IX.

Hoc enim egit Dominus per hominem, quem suscepit, ut dum innocens patitur, praevaricationis illius diabolicae

in eo inobedientia corrigatur, et deinceps liber a culpa fieret, ac liber esset a morte. Habentes igitur Dominum Jesum, quis nos Passione sua liberavit, in ipsum aspiciamus semper: et de ipsius Ligno speremus nostris vulneribus medicinam, hoc est: Si forte nobis venenum avaritiae se diffundit, ipsum consideremus, et sanat. Si Scorpionis nos libido compungit, ipsum rogemus, et curat. Si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eumdem precemur, et vivimus. Ili enim sunt spirituales Serpentes animarum nostrarum, propter quos conculcandos Dominus crucifixus est. Tu autem etc.

Te Deum laudamus.

QUARTA DIE.

Non impedita. Infra Octavam SS. Redemptoris.

In I. Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Absolut. Ipsius pietas etc.
Ad Bened. Deus Pater omnipotens.

Lectio IV.

Ex Opusculo secundo S. Bernardi Abbatis.

Contra quaedam capitula de erroribus Abaleardi.

Quis negat Omnipotenti ad manum fuisse alios; et alios modos nostrae Redemptionis, justificationis, liberationis? Verum hoc non praejudicat hujus, quem e multis elegit, efficaciae, et fortasse is praestat, per quem in terra oblivionis, gravedinis, lapsus nostri, tot, et tantis gravaminibus Reparatoris fortius, et vivacius admoneremur. Alias autem nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest, quid boni ad gratiam, quid congruentiae ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes se ipsam contineat hujus venerandi Mysterii inscrutabilis altitudo: quam Propheta considerans expavit, non penetravit,

et Praecursor Domini indignum se judicavit, qui penetraret. Tu autem etc.

℟. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

℣. Dominus pars hereditatis meae, et calicis mei — Propter hoc etc.

Ad Bened. Christus perpetuae.

Lectio V.

Certum si non licet perscrutari Divinae Sacramentum voluntatis, licet tamen sentire effectum operis, fructum utilitatis percipere. Et quod licet scire, non licet tacere: quia gloria Regum celare verbum, et gloria Dei investigare sermonem. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus! Quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Ubi reconciliatio, et remissio peccatorum? Nam si dicente Scriptura, peccata nostra separant inter nos, et Deum, manente peccato non est reconciliatio. In quo ergo remissio peccatorum? Hic Calix, inquit, novi Testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Itaque ubi reconciliatio, ibi remissio peccatorum. Et quid ipsa, nisi justificatio? Tu autem etc.

℟. Intuere Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis; sedet in tristitia Domina Gentium: * Non est, qui consoletur eam, nisi tu Deus noster.

℣. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus — Non est etc.

Ad Bened. Ignem sui amoris etc.

Lectio VI.

Sive igitur reconciliatio, sive remissio peccatorum, sive justificatio sit, sive etiam redemptio, vel liberatio de vinculis diaboli, a quo captivi tenebamur ad ipsius voluntatem, intercedente morte Unigeniti obtinemus, justificati gratis in Sanguine ipsius, in quo, sicut idem dicit, habemus redemptionem per Sanguinem ejus, et remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus. Cur, inquis, per Sanguinem, quod potuit facere per sermonem? Ipsum interroga.

Mihi scire licet, quod ita, cur ita, non licet. Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me finxisti sic? Tu autem etc.

℟. Ornaverunt faciem Templi coronis aureis, et dedicaverunt Altare Domino: * Et facta est laetitia magna in populo.

℣. In Hymnis, et confessionibus benedicebant Dominum — Et facta — Gloria Patri — Et facta etc.

IN III. NOCTURNO.

Absolut. A vinculis etc.
Ad Bened. Evangelica lectio.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. 3.*

In illo tempore: Dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis, qui est in Cœlo. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

In Evang. Joannis. Cap. 3.

Mira magisterii cœlestis arte Dominus Magistrum Legis Mosaicae ad spiritualem Legis ejusdem sensum inducit, recordans historiae veteris, et hanc in figuram suae Passionis, atque humanae salvationis factam edisserens. Narrat quippe liber Numerorum, quia pertaesus in eremo Populus Isräel itineris longi, ac laboris murmuravit contra Dominum, et Moysen: ideoque Dominus immiserit in illum ignitos Serpentes, ad quorum plagas, et mortes plurimorum cum clamarent ad Moysen, et ille oraret, jussit eum Dominus facere Serpentem aeneum, et ponere pro signo: Qui percussus, inquit, aspexerit eum, vivet; et ita factum est. Tu autem etc.

℟. Laudabilis populus, * Quem Dominus exercituum benedixit dicens: opus manuum mearum tu es, hereditas mea Israel.

℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus, populus electus in hereditatem. Quem Dominus.

Ad Bened. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Plagae igitur Serpentium ignitornm venena sunt, et incentiva vitiorum, quae animam, quam tangunt, spirituali morte perimunt. Et bene murmurans contra Dominum Populus, Serpentum morsibus sternebatur, ut ex ordine flagelli exterioris agnosceret, quantam intus perniciem murmurando pateretur. Exaltatio autem Serpentis aenei, quem dum percussi aspicerent, sanabantur, Passionem nostri Redemptoris signat in Cruce, in cujus solum fide Regnum mortis, et peccati superatur. Recte etenim per Serpentes peccata, quae animam simul, et corpus ad interitum trahunt, exprimuntur; non solum, quia igniti, quia virulenti, quia ad perimendum sunt astuti; verum etiam quia per Serpentem primi Parentes nostri ad peccandum persuasi, ac de immortalibus sunt peccando mortales effecti. Tu autem etc.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus.

℣. Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus — Gloria Patri — Plena etc.

Ad Bened. Ad societatem.

Lectio IX.

Recte per serpentem aeneum Dominus ostenditur, quia venit in similitudinem carnis peccati: quia sicut aeneus Serpens effigiem quidem ignitis Serpentibus similem, sed nullum prorsus in suis membris habuit ardorem veneni nocentis, quin potius percussos a Serpentibus sua exaltatione sanabat. Sic nimirum, sic Redemptor humani generis, non carnem peccati, sed similitudinem induit carnis peccati, in qua mortem Crucis patiendo credentes in se ab omni peccato, et ab ipsa etiam morte liberaret. Sicut ergo Moyses exaltavit Serpentem in Deserto: ita, inquit, exaltari opor-

tet Filium hominis; quia sicut illi, qui exaltatum pro signo Serpentem aeneum aspiciebant, sanabantur ad tempus a temporaria morte, et a plaga, quam Serpentum morsus intulerat: ita et qui mysterium Dominicae Passionis credendo, confitendo, sinceriter imitando aspiciunt, salvantur in perpetuum ab omni morte, quam peccando in anima pariter, et carne contraxerunt. Tu autem etc.

Te Deum laudamus.

QUINTA DIE.

Non impedita. Infra Octavam SS. Redemptoris.

In I. Nocturno. Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In Purificat. B. M. V.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio Templi tui. Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeon, suscepimus et nos, et quicumque sunt praeordinati ad vitam. Siquidem Christus heri, et hodie, et in æternum. In medio enim Templi misericordia est, non in angulo, aut diversorio, quia non est personarum acceptio apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, et nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquae tuae foras Domine Deus, nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est; et non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem, donec viderit Christum Domini, ut securus dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace, qui Christum Domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra, qui per fidem habitat in cordibus nostris. Tu quomodo hinc exibis, anima misera, quae ducem itineri Jesum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam habent. Unde hoc? Nempe quia lux venit in Mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Tu autem etc.

℟. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

℣. Dominus pars hereditatis meae, et calicis mei — Propter hoc etc.

Ad Bened. Christus perpetuae.

Lectio V.

Et lux (inquit) in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt, ac si dicat: et in plateis derivantur aquæ, et alienus non bibit ex eis, et misericordia in medio Templi est, nemo tamen accedit ex his, quos manet aeterna damnatio: Medius vestrum stat, o miseri, quem vos nescitis, ut morientes, antequam videritis Christum Domini, non in pace dimittamini: sed potius rapiamini a rugientibus præparatis ad escam. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio Templi tui. Longe est hæc gratiarum actio a voce illa gementis, Domine in Cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes. Quid enim? Videtur ne tibi in medio fuisse misericordiam, cum apud solos Cœligenas Spiritus haberetur? At ubi sane minoratus est Christus paulo minus ab Angelis, factusque est Dei, et hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificavit per Sanguinem suum, quæ in Cœlis sunt, et quæ super Terram. Ex hoc plane jam suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio Templi tui. Tu autem etc.

℟. Intuere, Domine quia facta est desolata Civitas plena divitiis: sedet in tristitia Domina Gentium: * Non est, qui consoletur eam, nisi tu Deus noster.

℣. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus — Non est etc.

Ad Bened. Ignem sui amoris.

Lectio VI.

Eramus enim et nos natura filii iræ, sed consequuti sumus misericordiam. Cujus iræ filii? Et quam misericordiam consequuti? Nempe filii ignorantiæ, ignaviæ captivitatis: Et consequuti sumus sapientiam, virtutem, Redemtionem. Ignorantia Mulieris seductae excæcaverat nos: Mollities viri abstracti, et illecti a propria concupiscentia enervaverat nos;

Malitia Diaboli expositos juste a Deo captivaverat nos. Sic ergo nascimur universi, primum quidem viæ civitatis habitaculi prorsus ignari: deinde imbecilles, et ignavi, ut etsi nobis nota esset via vitæ, propria tamen præpediremur, et detineremur inertia: postremo captivi sub pessimo, crudelissimoque Tyranno, ut licet prudentes essemus, atque robusti, ipsa tamen miseræ servitutis opprimeremur conditione. Numquid non misericordia, et miseratione multa opus habet tanta miseria? Aut certe si jam salvi facti sumus ab hac triplici ira per Christum, qui factus est nobis sapientia a Deo Patre, et Justitia, et Sanctificatio, et Redemptio; quanta nobis vigilantia opus est, dilectissimi, ne forte (quod absit) inveniantur nostra novissima pejora prioribus; si denuo contingat iram incendere, utpote qui non natura jam, sed propria voluntate filii irae sumus?

Tu autem etc.

℟. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt Altare Domino: * et facta est laetitia magna in populo.

℣. In Hymnis, et confessionibus benedicebant Dominum — Et facta — Gloria Patri — Et facta etc.

IN III. NOCTURNO

Ad Bened. Evangelica lectio.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. 3.*

In illo tempore; Dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in Caelum, nisi qui descendit de Caelo, Filius hominis, qui est in Caelo. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Alexandrini.

Ex com. in Joan. lib. 2, Cap. 50.

Et sicut Moyses exaltavit Serpentem in Deserto: ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Cum caussam

attulerit, quare ad sublimiora sermo sibi non exit, ad ea descendit, quae obumbrata a Moyse facta fuerunt. Non enim ignorabat potius eum figuris, quam spirituali doctrina, ad veritatis posse cognitionem devenire. Oportere autem omnino seipsum asserit, modo Mosaici Serpentis exaltari: ita historiae inquisitionem, latentesque in ea figuras rimari hortatur, ac illud quasi rursus inculcat: Scrutamini Scripturas, quia ipsae sunt, quae testimonium perhibent de me. Serpentes enim in Judaeos olim in Deserto insiliebant. Cumque more spicarum tempore messis caderent, divinam opem supplices requirebant: misericors autem Dominus Serpentem ex aere Moysi exaltari jussit, ut ea in re discerent fide salutem sperare. Tu autem etc.

℟. Laudabilis populus, * Quem Dominus exercituum benedixit, dicens: opus manuum mearum tu es, hereditas mea Israel.

℣. Beata Gens, cujus est Dominus Deus, populus electus in hereditatem — Quem Dominus etc.

Ad Bened. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Morsu enim Serpentis laborantibus unicum erat remedium, exaltatum cum fide Serpentem aspicere. Haec quidem historia est, in qua, velut in tabula, totum figuratae Incarnationis mysterium obumbratur. Serpens enim peccatum, quod humanum genus pascebatur, significat, quodque variis morsibus venenum hominibus infundit, quod effugere nullo alio pacto natura humana poterat, nisi auxilio, atque ope divina. Tu autem etc.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus.

℣. Tres sunt, qui testimonium dant in Caelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unus sunt — Sanctus — Gloria Patri — Plena etc.

Ad Bened. Ad societatem.

Lectio IX.

Verbum igitur Dei factum in similitudinem carnis peccati, in carne sua peccatum damnavit, ut scribitur: Respicientibusque in eum fide sincera, aeternae salutis largitor ostenditur. Quod autem in sublime Serpens exaltatus fuit, in eam cognitionem Passionem Christi perventuram denotabat: ut sicut ipse quoque praedixerat nemo sit, qui in Cruce passum fuisse ipsum ignoret.
Tu autem etc.
Te Deum laudamus.

Quotiescumque aliqua dies infra hanc Octavam fuerit impedita, si die sequenti fit Officium de Octava, legantur Lectiones de die praecedenti impedita: et hoc modo semper sufficient Lectiones propriae in quamcumque diem Julii inciderit Dominica tertia ejusdem Mensis.

DOMINICA IV. JULII.

In die Octava SS. Redempt. Dupl. Omnia dicuntur, ut in die Festo ejusdem, cum nona Lectione, Homilia, et commemoratione Dominicae occurrentis.

Sed si Lectiones secundi, et tertii Nocturni alicujus diei infra hanc Octavam lectae non sunt, eae legendae erunt in die. Lectio IX. erit de Dominica, et fit de ea commem., ut supra.

Concessione Summi Pontificis Clementis XIII. ad preces Procuratoris Ordinis Carmel. etc.

IN FESTO

S. ELIAE PROPHETAE *Duplex.*

Ad Vesperas.

Antiph. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel.

Psal. Dixit Dominus Domino meo.

Antiph. Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum.

Psal. Confitebor tibi Domine etc.

Antiph. Si homo Dei sum, descendat ignis de Cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos.

Beatus vir, qui timet Dominum etc.

Ant. Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini.

Psal. Laudate pueri Dominum etc.

Antiph. Occidisti insuper, et possedisti: Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua.

Psal. Lauda Jerusalem Dominum etc.

Capitulum. *Eccl.* 48.

Surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in populos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

Nunc juvat celsi properare ad alta
Montis Carmeli juga, et ore pleno
Vatis Eliae meritos referre
Laudis honores.

Dum fames terras premeret, ministro
Utitur Corvo: viduae farinam
Sufficit solers, oleoque manat
Hydria pingui.

Hic, Deo fusis precibus, reductum
Finibus mortis puerum parenti
Reddit, orando valet expetitam
Reddere lucem.
Claudit et nubes, aperitque verbo,
Imperat post tres properantes annos
Decidant Cœlo, sitiensque tellus
Hauriat imbres.
Sit Patri summo, genitaeque prpli,
Et tibi compar utrinsque Sancte
Spiritus laus, imperium, potestas,
Tempus in omne. Amen.

℣. Verbo Domini continuit Cœlum.
℟. Et dejecit de Cœlo ignem ter.

Ad Magnificat.

Antiph. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis, Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.

Oratio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui Beatum Eliam prophetam tuum igneo curru mirabiliter elevatum esse credimus, eodem interveniente ad caelestia sublevemur, et Sanctorum tuorum consortio gaudeamus. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invitat. Regem Prophetarum Dominum: * Venite adoremus.
Psal. Venite exultemus etc.
Hymn. Nunc juvat celsi etc. *ut supra ad Vesp.*

IN I. NOCTURNO

Antiph. Factum est autem, et aegrotaret filius mulieris matrisfamilias, et erat languor fortissimus.
Psal. 1. Beatus vir etc. *de commu. Conf.*
Antiph. Dixit mulier ad Eliam: quid mihi, et tibi vir

Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae, et interficeres filium meum.

Psal. 2. Quare fremuerunt gentes etc.

Antiph. Ait Elias ad viduam, da mihi filium tuum. Et clamavit ad Dominum, et revixit puer.

Psal. 3. Domine, quid multiplicati sunt etc.

℣. Verbo Domini continuit cœlum.

℟. Et dejecit de cœlo ignem ter.

De Libro tertio Regum.

Lectio I. *Cap.* 17.

Dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros, et pluvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Domini ad eum dicens: Recede hinc, et vade contra Orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, et ibi de torrente bibes: corvisque praecepi, ut pascant te ibi. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini: cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. Corvi quoque deferebant ei panem, et carnes mane, similiter panem, et carnes vesperi, et bibebat de torrente. Post dies autem siccatus est torrens: non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens: Surge, et vade in Sarephta Sidoniorum, et manebis ibi: praecepi enim ibi mulieri viduae, et pascat te.

℟. Recede hinc, et vade contra Orientem, dixit Dominus ad Eliam: * Qui abiit, et fecit juxta verbum Domini.

℣. Abscondere in torrente Carith, et ibi de torrente bibes; corvisque praecepi, ut pascant te ibi. Qui abiit.

Lectio II.

Surrexit, et abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei: da mihi paululum aquae in vase, ut bibam; Cumque illa pergeret, ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. Quae respondit: Vivit Dominus Deus

tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinae in hydria, et paululum olei in lecytho; en colligo duo ligna ut ingrediar, et faciam illud mihi, et filio meo, ut comedamus, et moriamur. Ad quam Elias ait. Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti: verum tamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me: tibi autem, et filio tuo facies postea. Sic autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluvia super faciem terrae. Quae abiit, et fecit juxta verbum Eliae: et comedit ipse, et illa, et domus ejus, et ex illa die hydria farinae non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod loquutus fuerat in manu Eliae.

℟. Abiit mulier, et fecit juxta verbum Prophetæ: * Et comedit ipse, et illa, et domus ejus.

℣. Ex illa die hydria farinae non defecit; et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Eliae: * Et comedit.

Lectio III.

Factum est autem post haec, aegrotavit filius mulieris matrisfamilias, et erat languor fortissimus, itaut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi, et tibi vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae, et interficeres filium meum? Et ait ad eam Elias: da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in cœnaculum, ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum. Et clamavit ad Dominum, et dixit: Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait; Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliae: et reversa est anima pueri intra eum, et revixit.

℟. Reversa est anima pueri intra eum, et revixit, et tradidit matri suae, et ait illi: * En vivit filius tuus.

℣. Tulit Elias puerum, et deposuit eum in inferiorem domum, dicens; En vivit. Gloria Patri En vivit.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Factum est verbum Domini ad Eliam, dicens: vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terrae.

Psal. 4. Cum invocarem etc.

Antiph. Ait Elias ad Achab: Ascende, comede, et bibe, quia sonus multae pluviae est.

Psalm. 5. Verba mea etc.

Antiph. Manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.

Psalm. 28. Domine Dominus noster etc.

℣. Tu ungis Reges ad paenitentiam.

℟. Et prophetas facis successores post te.

Ex Libro Sancti Epiphanii Episcopi.

De Vitis Prophetarum

Lectio IV.

Elias Propheta ex Thesbis existebat, e continente Arabum, de tribu Aaron Levitae. Morabatur autem in Galaad: quoniam Thesbis erant aedes Sacerdotibus consecratae, ac destinatae. Quem cum eniteretur parens ejus, ejusmodi Sobac patri visio apparuit: Viri niveum quemdam praeseferentes habitum, pusionem salutabant, matrisque uberibus in ignem evellebant: quin et flammam ignis cibi loco ministrabant. Profectus est itaque in Jerusalem Genitor, visaque ad Sacerdotes retulit. Respondit autem illi Chrematismus, hoc est Oraculum, sive Responsor: Cave manifestum facias: Erit quippe lumen filii hujus domicilium, sermoque ejus demonstratio, ac sententia, et judicabit Israel cum in igne, tum romphaea. Hic est ille Elias, qui ter ignem e caelo deduxit: quique imbrem sua lingua gestavit: mortuos item suscitavit, et in caelum denique nimbo, seu turbine ignis assumptus est.

℟. Ait Abdias ad Eliam; cum recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro, et tu dicis: * Dic Domino tuo: Adest Elias.

℣. Dixit Elias: Vivit Dominus exercituum; ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei. Dic Domino.

Ex Libro Sancti Isidori Episcopi.

De Vita, et morte Sanctorum.

Lectio V.

Elias, qui interpetratur Dominus Deus, Thesbites, Sacerdos magnus, atque Propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus, in laboribus fortis, in industria solers, excellenti ingenio praeditus, in exercitatione disciplinae rectus, in sancta meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus. Verberavit tyrannos, sacrilegos interfecit, multisque signis virtutum effulsit. Triennio siccitate clausit imbribus caelum. Oravit rursum et caelum dedit pluvias. Mortuum mulieris filium suscitavit. Cujus virtute hydria farinae non defecit, et vas olei perpetuo fonte manavit. Cujus verbo super sacrificium ignis de caelo venit. Duos quinquagenarios cum militibus caelesti igne combussit. Jordanem transiens, tactu melotis abrupit aquas.

℟. Cum venisset Elias ad portam Civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam; dixitque ei: * Da mihi paululum aquae in vase, ut bibam.

℣. Cumque illa pergeret, ut afferet, clamavit post tergum ejus dicens: affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. Da mihi.

Lectio VI.

Post haec igneo curru in caelum raptus ascendit, venturus, juxta Malachiam Prophetam: in fine mundi, praecursurus Christum, annuntiaturus ultimum ejus adventum cum magnis virtutibus, prodigiisque signorum, itaut bellum gerat Antichristus adversus eum, et Henoch qui cum eo venturus est, et occidet eos, Cadavera vero eorum tribus diebus, et sex horis in plateis insepulta jacebunt. Dehinc suscitati a Domino regnum Antichristi plaga magna percutient. Post haec veniet Dominus, et interficiet Antichristum gladio oris sui, et eos qui adoraverunt eum, et regnabit Dominus cum omnibus Sanctis suis in aeternum.

℟. Expandit se, atque mensus est Elias super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum: * Et axaudivit Dominus vocem Eliæ.

℣. Domine Deus meus revertatur, obsecro, anima pueri hujus. Et axaudivit. Gloria Patri. Et exaudivit.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Dixit Elias prophetis Baal; eligite vobis bovem unum, et invocate nomina deorum vestrorum; qui clamabant, et non erat, qui responderet eis.

Psalm. 14. Domine, quis habitabit etc.

Antiph. Cum jam tempus esset, ut offeretur holocaustum, accedens Elias oravit ad Dominum.

Psal. 20. Domine in virtute tua etc.

Antiph. Orante Elia cecidit ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam quae erat in aquaeductu lambens.

Psal. 23. Domini est terra etc.

℣. Beati sunt, qui te viderunt.

℟. Et in amicitia tua decorati sunt.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap.* 17.

In illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrisostomi.

Homil. 57. in Matth. Paulo post princip.

Cujus autem rei gratia Moysen, et Eliam produxit? Multas quidem dicere quis causas posset. Primum quoniam et turbae alii Eliam, alii Jeremiam, alii priscorum Prophetarum unum opinabantur; idcirco Moysen, et Eliam caeterorum Prophetarum vertices producit, ut quam magnum sit inter servos, et Dominum discrimen oculis cernerent, utque recte laudatum crederent Petrum qui filium

Dei eum confessus est : deinde quoniam assidue quasi transgressornm legis Judaei accusabant, et blasphemare putabant, quasi gloriam Patris nihil ad eum pertinentem vindicaret. Dicebant enim : Hic non est a Deo, quia Sabbatum non servat ; et rursus : De bono opere non lapidamus te, sed cum sis homo, Deum te facis ; ut ipsa re monstraretur, quia ex invidia haec criminabantur, quia neutri horum criminum subjiceretur ? nec legis praevaricator esset, nec alienam gloriam sibi acquireret, aequalem se Patri faciendo, eos produxit in medium, quorum alteruter in alterutra istarum rerum praefulsit. Moysi enim legem dedit ; quare non fuisset passus Moyses conculcari legem, ut Judaei credebant ; nec praevarivatorem ejus ; et legum latori hostem, lator ipse unquam coluisset ? Elias autem pro gloria Dei zelavit, quare non adstitisset ei, qui aequalem se Patri dicebat, si non esset, nec paruisset illi, qui sibi, quod non habebat, vindicaret.

℟. Ait Elias Nuntiis Regis Samariae ; numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad Beelzebub ? Quamobrem haec dicit Dominus ; * De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

℣. Reversi Nuntii ad Ochoziam dixerunt ; Vir occurrit nobis dicens : Ite, et revertimini ad Regem, et dicetis ei. De lectulo.

Lectio VIII.

Ad haec omnia illud etiam possumus dicere, ut jam mortis, quam vitae habere potestatem liquido, ac vere crederetur : utque supernorum, et infernorum Dominus ostenderetur, idcirco Moysen jam mortuum, et Eliam, qui nondum id passus est, in medium produxit. Quartam vero causam Evangelista quoque ipse tetigit. Quaenam igitur illa est ? Ut Crucis gloriam ostendat, et tam Petrum quam reliquos, qui passionem formidabant, consolaretur, et ad sublimius erigeret. Non enim tacebant, inquit, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Hyerusalem, de cruce videlicet, ac passione : sic enim ipsam semper appellabat.

℟. Factum est, dum tolleret Dominus Eliam per turbinem in caelum, * Eliseus clamabat dicens : Pater mi, Pater mi, currus Israel, et auriga ejus.

℣. Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in caelum. Eliseus. Gloria Patri etc. Eliseus.

Lectio IX.

Accedit ad haec omnia virtus quoque virorum singularis, atque praecipua, quam maxime a discipulis flagitabat. Nam quoniam dixit: Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, et sequatur me: hac de causa eos, qui centies pro Dei praeceptorum custodia, et populi qui sibi creditus fuerat, mortem suscepissent, in medium producit; quorum uterque cum animam perdiderit, invenit eam. Atque sane magna libertate adversus tyrannos locuti sunt; alter adversus Ægyptum, alter adversus Achab: et quod magnum est pro ingratis hominibus, et inobedientibus, a quibus in atrocia pericula compulsi sunt: qui etsi privati, ac absque potestate fuerant, propositum tamen habuerunt ab Idolorum cultu populum eripere: quorum alter tardus lingua, et voce tenuis, alter etiam aliquo modo rusticiori, et uterque saecularium divitiarum apprime contemptor; Nam neque Moyses quidquam possidebat, neu Elias praeter melotem aliquid habebat: praesertim cum veteris essent Testamenti, nec tanta gratia signorum pollerent.

Te Deum.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Elias, dum zelat telum legis, receptus est in coelum.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. ut in Dom.*

Antiph. Factum est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in coelum, ibant Elias, et Eliseus de Galgalis.

Psalm. Jubilate.

Antiph. Tulit Elias pallium suum, et percussit aquas, et divisae sunt; et transierunt ambo per siccum.

Psalm. Deus, Deus meus etc.

Antiph. Cum Elias, et Eliseus pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque.

Cant. Benedicite omnia opera etc.

Antiph. Ascendit Elias per turbinem in caelum, Eliseus autem videbat, et clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus.

Psalm Laudate Dominum de Coelis.

Capitulum. *Eccl. 48.*

Surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat, qui induxit in populos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

Te magne rerum conditor.
Mens nostra gliscit laudibus.
In hoc Thesbite maximo,
Quem diligis extollere.
Hic namque sacri nominis
Tui zelator provocat
Vates Baal nequissimos,
Victosque jure interficit.
Illo precante, victimas
Absumit ignis caelitus:
Hinc perstrepentes acriter,
Sunt omnibus ludibrio.
Tum Jezabelis impiae
Vitans furorem noxium,
Sub junipero dormiens
Adesse cernit Angelum,
Panem sibi qui proferens,
Lymphamque jussit pergere
Cibo refectum strenue
Ab montis Horeb verticem.
Hoc in cibo jejunium
Tulit quadragenarium.
Hac vi dapes sunt praeditae,
Quas dextera Dei porrigit.
Omnis sibi sit gloria
Verbum, Pater, Paraclite,
Inseperata Trinitas,
Quae condidisti omnia. Amen.

℣. Elias in turbi ne tectus est.
℟. Et in Eliseo completus est Spiritus ejus.

Ad Benedictus.

Antiph. El ias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum oravit, et caelum dedit pluv iam, et terra dedit fructum suum.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Beatum Eliam Prophetam tuum igneo curru mirabiliter elevatum esse credimus, eodem interveniente ad coelestium sublevemur, et Sanctorum tuorum consortio gaudemus. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Ant. Factum est autem.

Capitulum. *Eccl.* 48.

Surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius, quasi facula ardebat, qui induxit in populos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt.

℟. *brev.* Verbo Domini * continuit Cœlum Verbo.
℣. Ut dejecit de Cœlo ignem ter. Continuit.
Gloria Patri. Verbo.
℣. Tu ungis Reges pœnitentiam.
℟. Et Prophetas facies successores post te.

Ad Sextam.

Antip- Tulit Elias.

Capitulum. *Eccl.* 48.

Verbo Domini continuit Cœlum, et dejecit ignem ter: sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis.

℟. *brev.* Tu ungis Reges * Ad pœnitentiam. Tu.

℣. Et Prophetas facis successores post te. Ad. Gloria Patri etc. Tu.
℣. Beati sunt, qui te viderunt.
℟. Et in amicitia tua decorati sunt.

Ad Nonam.

Antiph. Ascendit Elias.

Capitulum. *Eccl. 48.*

Tu sustulisti mortuum ab inferis, de forte mortis in verbo Domini Dei. Qui scriptus es in judicii tempore lenire iracundiam Domini.

℟. *brev.* Beati sunt * Qui te viderunt. Beati.
℣. Et in amicitia tua decorati sunt. Qui te.
Gloria Patri etc. Beati.
℣. Elias in turbine tectus est.
℟. Et in Eliseo completus est Spiritus ejus.

Iu Secundis Vesperis omnia ut in primis, practer sequentia.
℣. Beati sunt, qui te viderunt.
℟. Et in amicitia tua decorati sunt.

Ad Magnificat.

Antiph. Tulit Elias pallium suum, et percussit aquas Jordanis, quae divisae sunt in utramque partem, et transierunt ipse, et Eliseus per siccum: et ascendit Elias per turbinem in Cœlum.

OFFICIUM

SS. MARTYRUM SCILLITANOR.

CONCIVIUM NOSTRORUM,

Concessum a Sac. Rit. Congr. ad humillimas preces eidem S. R. C. porrectas ab Illustrissimo, et Reverendissimo Domino D. Nicolao-Michaele Abbati Episcopo Scyllaceno, ex Decreto S. R. C. sub die XXVIII. Novembr. 1739, pro tota Civitate et Dioecesi, duplex.

Omnia de Commu. plurim. Mm.

Lect. i. Noct. *de script. fer. occurr.*

Lect. ii. Noct. *de eod. Comm. de Sermone S. Augustini Episcopi 1. loco.*

In iii. Noct. *Homil. in Evangel.* Descendens Jesus de Monte 2. *loc. plur. MM.*

Missa, Sapientiam Sanctorum, *de eod. comm. 2. loc.* *Glor. sine Credo.*

Oratio.

Deus, qui nos annua Sanctorum Martyrum tuorum Scyllitanorum Sperati, et Sociorum ejus Concivium nostrorum solemnitate laetificas: concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum etc.

Die II. Augusti.

IN FESTO

B. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

CONFESSORIS PONTIFICIS *duplex.*

Omnia de comm. Conf. Pontif. praeter ea, quae hic habentur propria.

AD VESPERAS

Hymnus.

En qui benigne nexibus
Solvit revinctos criminum,
Caelique callem deviis
En qui retexit sedulus.
Oh quot labores pertulit,
Æstusque mentis asperos,
Ex ore prompte daemonis
Eos ut atro tolleret?
Pagos et urbes permeat,
Plagasque cultas rusticis,
Ibique Christi dogmata
Ardore multo seminat.
Et ut docere dissitos,
Omnesque possit posteros,
Edit libros multiplices
Cunctis futuros saeculis.
Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

Oratio.

Deus qui per Beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum, atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti; quaesumus, ut ejus sa-

lutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum etc.

AD MATUTINUM

Hymnus.

Dum corda plebis commovet,
Eamque belle provocat
Alphonsus, ut fiduciam
In Matre ponat Numinis:
Monstrum novum, mirabile
Stupore plena conspicit,
Immensa quod suspiria,
Dulcesque guttas excitat.
Imago namque Virginis
Se luce vestit protinus,
Jubarque vibrat, quod pium
Loquentis os illuminat.
Probavit hoc miraculo
Regina Cœli praepotens
Verum fuisse, fervido
Quod fudit ipse pectore,
Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

In I. Noct. lect. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Alphonsus Maria de Ligorio Neapoli nobilibus Parentibus natus, ab ineunte aetate non obscura praebuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum Parentes obtulissent B. Francisco de Hieronymo e Societate Jesu; is bene precatus edixit, eumdem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiae bono futurum. Jam tum a pueritia a ludis abhor-

rens nobiles ephebos ad Christianam modestiam verbo, et exemplo componebat. Adolescens, dato piis sodalitatibus nomine, in publicis nosocomiis aegrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra Mysteria frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque juris lauream in patria universitate fuerit assequutus. Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo etsi magnam sibi laudem comparasset; fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitae institutum ultro dimisit. Spreto igitur praeclaro conjugio sibi a Patre proposito, avita primogenitura abdicata, et ad Aram Virginis de Mercede, ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus tanto zelo irruit in vitia, ut Apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum praesertim, et ruricolarum miseratus Congregationem Presbyterorum instituit SS. Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti, per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

Lectio V.

Ne autem a proposito umquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus tum divini verbi praedicatione, tum scriptis sacra eruditione, et pietate refertis animas Christi lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius, de illius laudibus librum edidit, ac de iis, dum ferventius concionando disserit, a Virginis imagine, in eum immisso miro splendore, totus facie coruscare, et in extasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicae Passionis, et sacrae Eucharistiae contemplator assiduus, ejus cultum mirifice propagavit. Dum vero ad ejus Aram oraret, vel Sacrum faceret, quod numquam omisit, prae amoris vehementia, vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus, vel abstrahebatur a sensibus. Miram vitae innocentiam, quam nulla umquam lethali labe foedavit, pari cum poenitentia socians, corpus suum inedia, ferreis catenis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat.

Inter haec prophetiae, scrutationis cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit.

Lectio VI.

Ab Ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime abhorruit. At Clementis decimi tertii Pontificis auctoritate coactus S. Agathae Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit Episcopus externum dumtaxat habitum; non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus Christianae disciplinae zelus, impensum in vitiis coercendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat, ac urgente annonae caritate ipsam domesticam supellectilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam redegit, suaeque Congregationis Monialium Monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves, habitualesque morbos dimisso. Ad Alumnos suos, a quibus pauper discesserat, revertitur pauper. Demum quamvis senio, laboribusque, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior de caelestibus rebus disserendi, aut scribendi finem numquam adhibuit; donec nonagenarius Calendis Augusti anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo Nuceriæ Paganorum inter suorum Alumnorum lacrymas placidissime expiravit. Eum inde virtutibus, et miraculis clarum Pius Septimus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo decimo sexto Beatorum fastis adscripsit.

Lect. III. Noct. de comm. Evangelistarum: Designavit Dominus etc.

AD LAUDES

Hymnus.

Alphonse cur nam juscula
Herbis amaris inficis?
Corpus tuum durissimo
Quare flagello percutis?

Rerum premens angustia,
Frigus, calor, jejunium,
Sitis, laborque pervigil
Submisit illud affatim.
Intacta sit, hoc efficis;
Ut castitatis lilia
Tuae, cibumque divitem
Virtutibus des caeteris.
Sic in tumultu saeculi
Vita fruentes accolae
Possunt Eremi consequi
Gressus tuos Antistites.
Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

IN FESTO

S. TERESIAE secundo. *Duplex.*

Pro cunctis Hispaniarum Regnis, et alibi.

Omnia tam in Officio; quam in Missa, prout in principali ejusdem festo ad diem 15. Octobris exceptis iis, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui illibata præcordia beatæ virginis Teresiæ sponsae tuae, ignito jaculo transfixisti, ipsa interveniente concede; ut corda nostra ardore Sancti Spiritus ferveant, et te in omnibus super omnia diligant. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate ejusdem.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Felix dies, qua candidae,
Instar columbae, caelitum
Ad sacra templa spiritus
Se transtulit Teresiae.
Sponsique voces audiit:
Veni soror de vertice
Carmeli ad Agni nuptias,
Veni ad coronam gloriae.
Te sponse Jesu Virginum
Beati adorent ordines,
Et nuptiali cantico
Laudent per omne saeculum. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Inter caeteras Teresiae virtutes praecipue emicuit dilectio Dei, quae adeo in corde ejus exarsit, ut Confessarii ipsius Teresiae tamquam non hominis, sed Cherubim propriam admirarentur, et celebrarent. Quam etiam Dominus noster Jesus Christus multis visionibus, et revelationibus mirabiliter auxit: quandoque enim data dextera, clavoque extenso illam in Sponsam suam adoptavit: atque his verbis alloqui dignatus est; Deinceps, ut vera Sponsa meum zelabis honorem: jam ipse sum totus tuus, et tu tota mea.

℞. Propter veritatem.

Lectio V.

Aliquando etiam Angelum vidit ignito jaculo sibi praecordia trasverberante. Quod ipsa enarrant his verbis: Videbam ad sinistram meam Angelum astantem corporali specie, non erat magnus, sed parvus, formaque pulcherrima, ac vultu sic accenso, et flagrante, ut videretur ex supremis, qui penitus exardent, sive ex iis, qui Seraphim dicuntur.

Aspiciebam eum in manibus gestare longum jaculum aureum, et in extremo cuspidis parum ignis: Jaculo autem non semel cor meum transverberabat usque ad viscera; hæc vero mihi videbantur secum asportare, cum jaculum educeret, exindeque me prorsus relinquere Dei amore aestuantem. Erat quidem tam vehemens dolor vulneris, ut me compelleret in gemitus iteratos prorumpere, et adeo excellens suavitas, quam in me hic dolor intensissimus efficit, quod desiderabile non fit, ut auferantur, nec animae quidquam placeat, nisi Deus ipse.

℟. Dilexisti justitiam..

Lectio VI.

Ex quibus caelestibus donis Divini amoris flamma in ejus corde adeo exaestuabat, ut maxime arduum votum a Deo edocta emiserit, efficiendi semper quidquid perfectius esse, et ad majorem Dei gloriam pertinere intelligeret. Quin etiam post mortem cuidam Moniali per visum manifestavit, se non vi morbi, sed ex intolerabili Divini amoris incendio vita excessisse.

℟. Afferentur Regi.

IN. III. NOCTURNO

Homil. in Evan. Homo quidam nobilis, *ut in festo S. Ludovici Reg. 25. vel 26. Augusti.*

Die XVIII. Augusti.

S. HELENÆ IMPERAT. VID.

Dup. Omnia de comm. nec V., nec M. praeter lect. 1. Noct. de Script. occurr., et sequentia.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui locum, ubi Crux tua latebat, Beatae Helenae revelasti, ut per eam Ecclesiam tuam hoc pretioso thesauro ditares: ejus nobis intercessione concede,

ut vitalis Ligni pretio æternae vitae praemia consequamur. Qui vivis etc.

IN II. NOCTURNO,

Lectio IV.

Ex S. Ambros. in Orat. de obitu Theodosii.

Venit ergo Helena, coepit revisere loca Sancta, infudit ei Spiritus, ut lignum Crucis requireret, accessit ad Golgotham, et ait: Ecce locus pugnae, ubi est victoria? quaero vexillum salutis, et non invenio. Ego, inquit, in Regnis, et Crux Domini in pulvere? Ego in aulis, et in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, et latet palma vitae aeternae? quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video, quid egeris, Diabole, ut gladius, quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderavit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, ut vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliae caput est amputatum. Aperiatur humus, ut salus fulgeat. Quid egisti, Diabole, ut absconderes Lignum, nisi ut iterum vincereris?

Lectio V.

Vicit te Maria, quae genuit triumphatorem; quae sine imminutione Virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, et mortuus subjugaret. Vinceris et hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa, quasi Sancta, Dominum gestavit, ego Crucem ejus investigabo: Illa generatum detulit, ego resuscitatum. Illa fecit, ut Deus inter homines videretur; ego ad remedium peccatorum Divinum de ruinis elevabo vexillum. Aperit itaque humum, decutit pulverem; tria patibula confusa reperit, quae ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerto haeret, ut mulier, sed certam indaginem Sanctus Spiritus inspirat.

Lectio VI.

Quaesivit clavos, quibus crucifixus est Dominus, et invenit. De uno clavo fraenos fieri praecepit, de altero Diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Visitata est Maria, ut Evam liberaret: Visitata est Helena, ut Imperatores redimerentur. Misit itaque filio suo Constantino Diadema gemmis insignitum, quas pretiosiori ferro innexas Cruci redemptionis Divinae gemma connecteret. Misit et fraenum, utroque usus est Constantinus, et fidem transmisit ad posteros Reges. Principium itaque credentium Imperatorum sanctum est quod super fraenum: Ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet. Sapienter Helena egit, quae Crucem in Capite Regum levavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est cum defertur Sacrae Redemptioni. Bonus itaque Clavus Romani Imperatoris, qui totum regit Orbem, ac vestit principum frontem, ut sint praedicatores qui persecutores esse consueverunt.

In Festo

BB. ANTONII PRIMALDI

Et Sociorum Mm. Hydruntinorum Semidupl. Omnia de comm. plur. Mm. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Praesta quaesumus, Omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres Antonium, et Socios fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum nostrum etc.

Lectio I. Noct. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Antonius Primaldus, et octingenti circiter Socii Martyres Hydruntini, Christi fidem postremis hisce Saeculis suo sanguine illustrarunt, et insigni fortitudinis exemplo primaevam Ecclesiae gloriam revocarunt. Anno siquidem reparatae salutis millesimo quadringentesimo octogesimo, quum Achomates classis Mahumeti Secundi Praefectus in perniciem tenderet Italiae, Hydruntum devectus urbem penitus imparatam facili negotio subigere ratus est. Tanta vero fuit Hydruntinorum virtus, ut cum hostibus Sanctae Fidei pacisci, ne ferendis quidem conditionibus, passi sint. Per quindecim igitur dies acriter utrinque pugnatum est: sed jam disjectis maenibus, tandem barbarorum numerus praevaluit, qui vi urbe potiti, cuncta caedibus compleverunt: sic per diuturnos labores, multasque tribulationes servos suos Dominus ad coronam disponebat.

Lectio V.

Hydruntinorum constantia, suorumque ingenti clade non leviter: commotus Achomates crudelis homo, et Christiano nomini infensissimus, inter eos, quos servituti addixerat, viros omnes secerni jubet decimoquinto anno majores, qui octingenti circiter inventi sunt. Nudi, manibusque post terga colligatis ex urbe ad clivium Minervae (postea Martyrum dictum) coram barbaro duce deducuntur · electo huic populo fides Christi ejuranda proponitur: libertas, si patriæ salus, dum pareant, promittitur mors vero, et renuant, indicitur. At exemplo vere singulari, nemo unus in tanto numero repertus est, qui vel spe libertatis allectus, vel mortis timore perculsus a fide Christi desciverit. Omnes enim ab Antonio viro religione spectabili confirmati, invocantes dulcia Jesu, et Mariae nomina, seque invicem cohortantes, datis fortiter pro Christo cervicibus, Martyrii palmam assequuti sunt.

℟. Verbera carnificum.

Lectio VI.

Martyrium hoc plurimis prodigiis Deus quoque confirmavit. Ferunt enim, Antonii corpus, abscisso capite, constitisse, nec nisi finita Sociorum caede potuisse dejici; atque insuper omnia Beatorum corpora per tredecim menses diu exposita penitus integra et incorrupta permansisse Quare ab Alphonso Calabriae duce Ferdinandi Regis filio, urbe recuperata, summa religione ac pompa, ipsoque comitante ad reconciliatam Metropolitanam Ecclesiam importantur, et in egregio Sacello, quod regali munificentia Rex dotaverat collocantur. Quadrennio fere post biscentum circiter quadraginta ex iisdem Martyrum corporibus idem Alphonsus dux Neapolim asportavit, atque in Ecclesia Beatae Mariae Magdalenae prope Castrum Capuanum collocavit; unde postea ad Ecclesiam Sanctae Catharinae ad Formellum nuncupatam translata sunt, ubi nunc etiam pie sancteque recoluntur. Reliqua vero sacra pignora illorum patria Hydruntum veneratur. Beatorumque Martyrum praesentem opem saepissime experta: Cultum ab immemorabili Pontificis Maximi Apostolica auctoritate comprobandum curavit.

℣. Tamquam aurum

In III. Noct. de commu. 1. loco.

SEPTEMBER

In Festo

S. ROSÆ VIRG.

Viterbiensis, tertii Ord.

Duplex II. Classis

In utriusque Vesp. et Laud. ℣.

Oratio.

Deus, qui beatam Rosam sanctarum tuarum virginum collegio aggregare dignatus es: tribue nobis, quæsumus: ut ejus precibus, et meritis a culpis omnibus expiemur, et tuæ consortio perfruamur aeterno. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO

Lectiones. De Virginibus praeceptum. Ut in eodem Communi.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Rosa Viterbii piis parentibus nata, ab ipsa infantia omni virtute enituit; facta perfectionis magistra, cum vix loqui didicisset, mundi exosa vanitas, rudi amictu, pedum nuditate, cilicio, jejuniis, aliisque austeritatibus corpusculum affligens, divinae contemplationis jugiter vacabat. Hanc vero eximiam sanctitatem insigni miraculo Deus testatam voluit, nam adhuc puella avunculam defunctam ad vitam revocavit. Ad virginitatem, quam perpetuo coluit, solo aspectu intuentium animos excitabat. Charitatis erga pauperes studiosissima, cum aliquando hiberno tempore subtractum sibi panem clam illis deferret, patre imperante, ut proderet quid gremio absconditum ferret, panis in rosas conversus est.

℣. Propter veritatem.

Lectio V.

Cum septimum explesset annum solitudinis desiderio flagrans, domus suae angustam cellulam elegit; cui se tanquam voluntario carceri inclusit, et orationi, corporisque castigationi ardenter incumbens, Dei clementiam deprecabatur pro sanctæ Ecclesiæ tranquillitate, quam Federici Secundi Imperatoris impietas acerrime divexabat. Ex diutina autem maceratione in morbum lethalem incidit, in quo beatæ Virginis visitatione recreata, habitum Tertii Ordinis Sancti Francisci induere jussa est. Decennis a Deo inspirata, piis adhortationibus, validisque argumentis multos hæreticos ad fidem, et obedientiam Romani Pontificis reduxit. Qua de causa cum tota cognatione sua in exilium electa, ad vicina oppida venit, ubi Friderici mortem, et Ecclesiæ pacem prophetico spiritu praedixit. Mulierem caecam a

nativitate illuminavit, et ad Fidei veritatem astruendam succensum rogum ingressa, ac tribus horis in eo illaesa permanens cujusdam haereticæ mulieris pervicaciam vicit, eamque cum aliis ad Fidem convertit.

℟. Dilexisti.

Lectio VI.

Tandem Viterbium summa civium gratulatione reversa, in consortium Sanctimonialium sanctæ Mariæ de Rosis admitti petiit: sed illis ingressum: ob puellæ inopiam denegantibus, se mortuam in eo Coenobio commoraturam praedixit. Mox ad pristinum domus suae carcerem regressa, cum in ea duobus annis permansisset, morbo correpta, et ad beatam patriam suspirans, meritis plena migravit ad sponsum, decimo octavo suæ vitae anno nondum exacto. Corpus ejus miro splendore illustratum, suavique odore perfusum, in templo Sanctæ Mariæ de Podio effossa humo, ac desuper ingesta tumulatum fuit: donec post triginta circiter menses ab Alexandro quarto tunc Viterbii sedente, et in somnis ter ab ea admonito refossum, et incorruptum repertum, pridie Nonas Septembris ad præfatum Monasterium, quod postea Sanctæ Rosæ nuncupatum est, sollemniter translatum fuit: ubi usque ad hodiernam diem integrum, et flexibile summa totius orbis admiratione asservatur, et novis semper miraculis coruscat.

℟. Afferentur.

In tert. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evangel. Simile erit regnum coelorum decem Virginibus *ut in com. Virg. 1. loco.*

B. M. V. DE SUCCURSU.

Dup. maj. Omnia, ut in festo S. Mariae ad Nives, praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui ad succurrendum humano generi Beatam Virginem Mariam Unigeniti Filii sui Matrem esse voluisti: da nobis, quaesumus, ut, ea in-

tercedente, diabolica vitare contagia, et sincera tibi mente servire valeamus. Per eumdem Dominum etc.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Sermo S. Thomae Episcopi.

Conc. 1. de Assump. Virg.

Maria est Turris fundata supra firmam petram in montibus sanctis immobili fundamento: siquidem Deus in medio ejus non commovebitur. De hac Virgine in Canticis legitur: Sicut Turris David, quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Vere Turris David, illius, inquam, David, qui superbum Goliath quinque lapidibus de torrente, idest quinque Vulneribus, et Crucis baculo gloriantem in Calvariae Monte prostravit. Facta est haec Turris Ecclesiae propugnaculum, et peccatorum unicum refugium, ut ad ipsam confugiant omnes rei, omnes moesti, omnes afflicti, et ea protegente liberentur ab hoste. O homo, in quacumque tribulatione ad Mariam fuge, sive peccatis afflictus, sive persecutionibus attritus, sive tentationibus turbatus, hanc Turrim petito, ad Mariam confugito. Mille enim clypei pendent ex ea, et contra omnem aestum tribulantis, et ad omnem faciem persequentis daemonis tutissimum in ea clypeum invenies, quo te protegas.

Lectio V.

Ibi est enim omnis armatura fortium, ibi fides Apostolorum, ibi fortitudo Martyrum, ibi puritas Virginum, Doctorum sapientia, Anachoritarum paupertas, devotio Confessorum: ibi denique omnium Sanctorum virtus agglomerata reperitur. Nihil enim umquam alicui Sanctorum speciali privilegio concessum est, quod non a principio vitae, et cumulatius praefulgeat in Maria. Ecce Castellum fortissimum, ecce Turrim inexpugnabilem, quae numquam dis-

bolo praestitit tributum, ac fidem. Hanc intravit Jesus, quando Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; ideo inimicos expugnaturus, et Regnum suum recuperaturus, in quo ab initio daemon fuerat intrusus.

Lectio VI.

Electa est, ut esset Advocata nostra. Nam licet Advocatum habeamus apud Patrem Filium, ut ait Joannes; opus etiam fuit habere Matrem Advocatam apud Filium. Nam peccatis nostris non solum Deus offenditur, cujus praecepta violamus; sed et Filius Dei, cujus sanguinem peccando conculcamus, rursus crucifigentes Filium Dei et ideo sicut apud Patrem interpellat Filius; sic apud Filium interpellat Mater: unde Filius ostendit Patri latus, et vulnera, et Mater ostendit Filio pectus, et ubera: unde facta est idonea Advocata: idonea, quia purissima, idonea, quia acceptissima, idonea, quia piissima: haec enim omnia ad Advocatam requiruntur. Eja ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; ad te in nostris necessitatibus accurrimus, tuum officium imple, tuum opus exerce.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem c. 19.

In illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et Soror Matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Tract.* 119. *in Jo.*

Haec nimirum est illa hora, de qua Jesus, aquam conversurus in vinum, dixit Matri: Quid mihi, et tibi est, Mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quae tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis Matrem velut incognitam repellebat.

Lectio VIII.

Nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Moralis igitur insinuatur locus. Facit, quo faciendum admonet, et exemplo suo suos Ministros instruxit Praeceptor bonus, ut a filiis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis.

Lectio IX.

Ex hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus quod docebat, quando dicebat: Si quis autem suis, et maxime domesticis non providet, fidem negavit, et est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi praecepti ipse Magister Sanctorum de seipso constituebat exemplum, quando non, ut famulae, Deus, quam creaverat, et regebat, sed, ut Matri, homo, de qua creatus fuerat, et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat.

Te Deum.

S. NYLI Junioris

Abbatis Ordinis S. Basilii Fundatoris Monasterii Cryptæ Ferratæ Civis, et Patroni Principalis Civitatis, et Dioecesis Rossanen.

Omnia de Com. Conf. non Pontif.

Oratio. Intercessio.

Lectio I. Noct. Justus.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Ex gestis per ejusdem B. Viri Discipulum grece fidelissime conscriptis.

S. Bartholomaeus Ab. in vita S. Nyli Ab.

Nilus Rossani in Calabria ortus, a pueritia pietati deditus fuit. In anno ætatis trigesimo nondum exacto, matrimonii impedimentis solutus, ut vocantem Christum sequeretur, Monachus fieri decrevit. Cumque Monasterium versus, quod Mercurii dicebatur, febri quamquam graviter affectus, tenderet: ibi enim Sanctum habitum suscipere in animum induxerat, flumen quoddam trahans morbo, quo laborabat, in mediis aquis divinitus levatum se sensit: qua ex re alacrior effectus, quod reliquum erat viae, Deum laudans perfecit, illud Psalmi canens: viam mandatorum tuorum cucurri, Domine, cum dilatasti cor meum. Monachus factus, ab hominibus, ac Dæmonibus multa passus, omnia fortiter sustinuit, Dei amore. Tu autem Domine etc.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Solitariæ interim vitæ studiosus, ut in rerum Divinarum contemplatione liberius conquiesceret, ac silentii quiete, ut optabat frueretur, speluncam Monasterio proximam ex superiorum suorum voluntate petiit, ubi solitariam vitam agens, Deumque sibi præsentem constituens, multa, et magna certamina viriliter gessit, sanctorumque Monachorum, qui eam præcesserant, Antonii, Sabbae, Hilarionis, et aliorum virtutes imitari totis viribus studens. Ibi itaque incredibili abstinentia viliabat, magnamque diei partem, et noctes ipsas in precibus transigebat: Eam porro speluncam tandiu incoluit, quandiu saracenis Calabriam incursionibus devastanti-

bus; alio migrare, ne Deum tentare videretur; coactus fuit. Ergo in Patriam reversus, in Oratorio S. Adriani mansit, quo in loco ad se venientes suscipiens, illorum salutem procurabat. A Principibus viris in magno honore habebatur; Eum Imperatores, ipsique Summi Pontifices ut virum Sanctum venerabantur. Prophetico praeterea spiritu multa prædixit. Leonem domesticum Comitem, et Nicolaum Prothospatarium a Basilio, et Constantino Græcis Imperatoribus ad regendam Calabriam anno nonagentesimo septuagesimo sexto missos, Monasticum habitum deridentes gravissime increpavit hoc (dicens) quod nunc irridetis, ecce veniet hora, in qua cupietis vehementer illo indui, et digni non eritis: ut et factum est. Tu autem.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum; * Et ad Portas Paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et coronavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

Donis quoque quamplurimis Deus Sanctum suum exornavit. Energumenos liberandi facultatem illi concessit: furorem illorum, qui eum cujus christianam libertatem ferre non poterant, persequabantur, mirifice repressit. Eupraxius Praefectus, qui Leoni Domestico in Calabriae regimine successerat, mortifero morbo, quod in Beatum Nylum superbum suum animum contemnentem, cum motus fuerat, divinitus percussus, ab eodem Sancto Viro, culpam suam agnoscens, Monasticum habitum magna devotione suscepit; Post haec praevidens S. Nylus novam Saracenorum in Calabriam irruptionem futuram, in Campaniam cum suis veniens, Cassinum divertit, ubi a Monachis S. Benedicti, quibus Aligernus Abbas praeerat, honorifice exceptus, ab eisdem Monasterium, quod Vallis Lucii nuncupabant, incolendum accepit. Interea co loco cum annos quindecim transegisset, Aligerno Abbate vita functo, inde recedens, Cajetam se contulit, et in Monasterio, quod Serapis appellabatur, decem annos Monasticam vitam exercuit, ubi ab Othone tertio Imperatore devotionis causa invisitur. Verum, ut honores sibi a Cajetae Principe paratos fugeret, eo loco relicto, ad agrum Tusculanum duodecimo ab urbe la-

pide perveniens, in Monasterio, cui S. Agatae nomen erat, reliquum vitae tempus transegit. Quinto autem, et nonagesimo aetatis suae anno Beatus hic vir, virtutum nomine illustris abiit ad Dominum.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere ad requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus Gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam Mundi, et pervenit ad Cœlestia Regna. Quia te vidi justum. Gloria Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum. *Cap. 19. d.*

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce Nos reliquimus omnia: et secuti sumus te: quid ergo erit Nobis? Et Reliqua.

De Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.
In Natali S. Benedicti.

Duo sunt ordines electorum in Judicio futuri: unus judicantium cum Domino, de quibus hoc loco memorat, qui reliquerunt omnia, et secuti sunt illum; alius judicandorum a Domino, qui non quidem omnia sua pariter reliquerunt, sed de his tamen, quae habebant, quotidianas dare eleemosynas Christi Pauperibus curabant, unde et audituri sunt in judicio: Venite benedicti Patris mei, possidete praeparatum vobis Regnum a constitutione Mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere, et permanens in innocentia sua: Ipse.

Lectio VIII.

Sed et reproborum duos ibi futuros ordines Domino narrante comperimus: unum eorum, qui fidei cristianae mysteriis initiati, opera fidei exercere contemnunt, quibus in Judicio testatur; Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est Diabolo, et Angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, Alterum eorum, qui fidem, et Mysteria Christi vel nunquam suscipere, vel susceptam per apostasiam deseruere, de quibus dicit: Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.

℣. Sicut lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris; * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum tuum, quando revertatur a nuptiis.

℟. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Verum his cum timore, et pavore debito paulisper commemoratis, ad laetissima potius Domini, et Salvatoris nostri promissa convertamus auditum. Videamus, quae tantae gratia pietatis: non aeternae tantummodo vitae praemia suis sequacibus, sed et praesentis munera pollicetur eximia. Et omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit. Qui enim terrenis effectibus, sive possessionibus pro Christi discipulatu renuntiaverit, quo plus in ejus amorem profecerit, eo plures inveniet, qui se interno suscipere affectu, et suis gaudeant sustentare substantiis.

Te Deum.

Missa de communi Abbatum.

OCTOBER

IN FESTO

S. GREGORII ARMENI.

EPISCOPI ET MARTYRIS PATRONI. *Duplex.*

Ad Vesperas.

Antiph. Gaude Mater Ecclesia, *cum reliq. de Laud. Psalm. de Communi unius Martyris.*

Capitulum. *Jacob. 1.*

Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.

Hymnus.

Lux o decora Gregori,
Nostris refulge mentibus,
Te praevio videbimus
Solem perennem gratiae.
Tu clara gemma Praesulum
Excellis inter Martyres,
Longos per anni circulos
Tormenta passus horrida.
Tu voce curans corpora,
Caecasque mentes inclytus
Illuminans miraculis
Nutu fugasti daemones,
Bonis procul fugacibus
Amplexus es cœlestia,
Spretoque mundo, Cœlitum
Gaudes potitus praemiis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Gloria, et honore coronasti eum Domine.
℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnificat.

Antiph. O Lux Ecclesiae Doctor veritatis, Pontifex Armeniae, norma charitatis, Praedicator gratiae, deprecare pro nobis Filium Dei, alleluja.

Oratio.

Deus, qui per Beatum Gregorium Pontificem, et Martyrem tuum Armeniae gentis populum, Regemque verae fidei lucem recipere tribuisti: da Ecclesiae tuae de tantis gaudere triumphis, et apud te meritis ejusdem, et precibus adjuvari. Per Dominum etc.

Deinde fit commemor. S. Hieronymi, ac S. Remigii Episcopi, et Confess. ut in Breviario.

Invitator. Regem Martyrum Dominum: * Venite, adoremus.

Ad Matutinum.

Psalm. Venite, exultemus.
Hymnus. Lux o decora *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Probatus in Christo, et perfectus inventus est, ideo data est illi gloria aeterna.

Psalmus. Beatus vir, *cum reliqu. de Communi unius Martyris.*

Antiph. Praecepto Regis non obedivit Gregorius, coronas laureas diis offerri praecipientis.

Psalm. Quare fremuerunt.

Antiph. Praeco salutis doctrina Evangelica Armenos erudivit.

Psalm. Domine, quid multiplicati.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine.
℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Lectiones 1. *Noct.* A Mileto, *cum Responsoriis de Communi unius Mart.*

IN II. NOCTURNO

Antiph. Suspensus in equuleo Gregorius laudabat Dominum Salvatorem.

Psalm. Cum invocarem.

Antiph. Glorificavit eum Dominus in conspectu Regis, et ostendit illi gloriam suam.

Psalm. Verba mea.

Antiph. Quasi Sol refulgens, sic effulsit Gregorius in Templo Dei.

Psalm. Domine Dominus noster.

℣. Posuisti Domine super caput ejus.

℟. Coronam de lapide pretioso.

Lectio IV.

Gregorius Armeniae Regibus ortus, cum Patris Anaci tota familia ad necem usque quaereretur, infans clam ereptus, Caesareae Cappadociae educatus est. Adolescens Christianam legem una cum baptismo suscepit, duosque ex legitima uxore genuit filios, Orthanem, et Arostanem, quos adeo in fide Christi erudivit, ut sanctissime uterque vitam finierit. Secesserat Caesaream Teridates Cursari olim Armenorum Regis ab Anaco dolose interempti filius, a Persis ditione paterna spoliatus, cui Gregorius, non ignorans paternum scelus, se se in servitutem tradidit, et cum eo in Armeniam, restituto ei a Romanis Regno, post multos annos rediit. Ibi a Teridate saepius tentatus, ut Idolis sacrificare vellet, cum renuisset constantissime, innumera tormentorum genera subire coactus est, ut pene incredibilia videantur.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Nam primo deducitur in tetrum carcerem: in os ejus lignum immittitur, quod violentissime ab inferiori parte superiorem disjungeret: onerantur humeri glebis salis, qui apud Armenos est fossilis: funibus sanctum corpus alligatum in sublime trahitur: post diem septimum e sublimi demittitur, altero pede suspenso, et igne admoto, fumoque suf-

posito, virgis interea saevissime caeditur: crura tabulis, et fune constringuntur, ita ut effiueret sanguis per summos pedes, qua clavis confixi celerare gressus mox coguntur: caput fabrili quodam instrumento interceptum comprimitur: per fistulam e naso ad cerebrum sal aceto mistum, et nitrum transfunduntur: calatho fuligine pleno caput ipsum obruitur, ut suffocetur, ferreis singulis excarnificantur latera; et a subjectis muricibus ferreis immanissime cruciantur: genua tibialibus ferreis vestiuntur, quae cum eis item ferreis ob firmantur: plumbum liquefactum in os ejus infunditur; sed invictus Gregorii animus Christi fide, speque munitus, tormentis non cessit unquam, et divina virtute sanatus, constantior praedicabat Christum. Unde Teridates actus in rabiem ob patris etiam necem, quam postea cognovit ab Anaco factam, ligatum collo, manibus, et pedibus, in lacum Artaxat eum dejici jubet moriturum.

℟. Desiderium animae.

Lectio VI.

Post annos quatuordecim divina providentia factum est, ut Teridates, quasi alter Nobuchodonosor probatus, Gregorii velut redivivi se se ad pedes abjecerit, quem cum Satrapis Regni, mysteriis initiatum, jejunio longo purgavit, narrata cœlesti visione recreavit, et miraculosa diversarum ægritudinum curatione confirmavit. Quare propriam detestatus Rex contra eum crudelitatem, ipsemet Deorum templa destruxit, Ecclesias vero Deo aedificavit, pretiosas vestes, prædia, thesauros pro divino cultu elargitus. Exposcebat Rex Gregorium Episcopum, quem dubitantem Angelus e Cœlo animavit ad onus, et a Leontio Cæsareæ Episcopo, rogante Rege, consecratus est. Armeniæ fines, cum rediret, vix ingressus, oratione sua templum Herculis a fundamentis evulsit, et alterum erexit, in quo sancti Joannis Baptistae, et martyris Athenogenis sacras reliquias collocavit. Ingentem hominum multitudinem baptizavit, exorta in cujusque capite mirifica cruce. Aperuit sacrarum litterarum gymnasia, Persis, Assyriis, Hymnis, et Medis ad Christianam Rempublicam aditum fecit, quibus, et Episcopos dedit, et Sacerdotes, et Monachos, multis ab eo aedificatis Monasteriis. Tandem quietis, et otii divini cupidissimus, Arostane filio,

petente Rege, sibi suffecto in solitudinem cum paucis alumnis abiit; ubi jejunio plane admirabili, et contemplationi deditus, obdormivit in Domino plenus dierum, Constantino Magno Imperatore. Ejus sacras reliquias Christiani ex Armenia ab hostibus capta fugientes, in Italiam transtulerunt, et Neapoli sacrum ejus caput cum catenis, quibus vinctus, et virgarum fragminibus, quibus caesus fuerat, deposuerunt in nobili Ecclesia in ejusdem honorem erecta: Brachium vero in Ecclesia Cathedrali Neritonensi: cujus Cives Sancti viri miracula saepius experti, praesertim in impetrandis a Domino pluviis, eumdem sibi Patronum elegerunt.

℟. Stola jucunditatis.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Fuit magnus in Armenia magna, maximus in salutem Electorum Dei.

Psal. In Domino confido.

Antiph. Directus est divinitus in pœnitentiam gentis, et tulit abominatiónem impietatis.

Psalm. Domine quis habitabit.

Antiph. Virtutes multas, et miracula per beatum Gregorium Dominus fecit, alleluja.

Psal. Domine in virtute.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℟. Gloriam, et magnum decórem impones super eum.

Lect. de Homilia in Evang. Si quis venit ad me. *de eodem Communi.*

℟. 8. Gaudet in Cœlis beatus Gregorius Armeniæ Pontifex, gloria, et honore coronatus: * Qui pro Christi nomine varios, et gràves sustinuit eruciatus.

℣. Dedit illi Dominus fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus. Qui pro. Gloria Patri. Qui pro.

Nona Lectio de S. Remigio, ut in Breviario.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Gaude Mater Ecclesia, adsunt festa solemnia Armeniae Pontificis, et Martyris Gregorii.

Psal. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Lapide ad collum ligato praedicabat Gregorius Dominum Jesum Christum.

Antiph. Solicitus Pastor Gregis Christi fuit Gregorius, ac strenuus daemonum debellator.

Antiph. Idolorum templa destruxit, et sanctis martyribus nobiles Basilicas aedificavit, alleluja.

Antiph. O lux Armeniae, qui martyrio coronari, et inter Pontifices numerari digne meruisti.

Capit. et Hymnus ut in primis Vesperis.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Bened.

Antiph. O pastor egregie Gregori, lux Armeniae, qui radiante lumine cum Angelorum agmine Regem vidisti gloriae; vota precantium suscipe, qui laudes tuas hodie personant, alleluja.

Deinde fit commemor. S. Remigii.

In 2. Vesp. omnia ut in primis.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Magnificat.

Antiph. O Gregori, martyr Christi esto memor nostri, ut tuis precibus adjuti, aeterna gaudia mereamur consequi, alleluja.

Deinde fit commem. SS. Angelorum Custodum, ut in Breviario.

In Festo

B. CLARÆ DE MONTE FALCO V.

Sanctimonialis Ordinis nostri. Duplex Majus.

Omnia de Comm. Virginum, praeterea quae, hic assignantur

Oratio.

Deus, qui beatam Virginem tuam Claram clarificans, in ipsius corde Passionis tuae, et Trinitatis mysteria renovasti; præsta quaesumus, ejus precibus et imitatione sic nos tuæ Passionis amaritudinem recordari, ut Trinitatis beatitudine perfrui mereamur: Qui cum Patre et Spiritu Sancto in Trinitate vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN I. NOCTURNO

Lectiones De Verginibus sumuntur ex Comm. Virginum.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Clara Virgo in Monte Falco Umbriæ oppido, honesto genere nata, ab incunabilis non obscura praetulit sanctitatis indicia. Nam pene infans ita pietati dedita fuit ut praecibus, vigiliis, et jejuniis operam daret. Somni adeo parca, ut raro lectulum dormitura conscenderet, sed humi cubaret, si quando eam somni necessitas oppressisset. Arctioris vitae desiderio, in Cœnobium Virginum a Joanna sorore sua sub Instituto Sancti Patris nostri Augustini nuper extructum, infimis precibus admitti postulavit. Voti autem compos effecta, ut pro tanto beneficio Deo gratias persolveret, septem dierum jejunium sibi indixit neque aliud quidquam praeter dimidium panem cum pomo unico degustavit. Silentium adeo coluit, ut cum semel matris alloquendæ gratia illud

fregisset, in poenam admissi erroris, in summo frigore nives nudis pedibus calcans,, centies praecationem Dominicam recitavit.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

Mortua sorore, Cœnobii administrationem repugnans suscepit: omniumque virtutum exemplis, ceteris Virginibus praeluxit. Incredibili fuit abstinentia, pane et aqua dumtaxat, idque semel in die, vitam tolerans. Aspero cilicio corpus domans, singulis noctibus flagellis se cruentabat. Plures per annos gravissimis morbis vexata, aliquando etiam a daemonibus duriter caesa, nihil de consueto vitae rigore remisit. Erga pauperes tanta charitate flagravit, ut saepe numero illos vestibus indueret, nec quemquam ab ostio monasterii vacuum abire pateretur. Doctrina divinitus infusa, falsa haereticorum dogmata confutavit; ac Philosophis quaestiones altissimas proponentibus satisfecit. Multa extinxit odia, et mortales inimicitias sedavit; pacemque inter finitimos populos conciliavit.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Incredibili animi sensu Christi Domini tormenta, et cruciatus contemplari solita erat; unde quadam die Salvator, suscepta peregrini persona, candido vestibus amictu, humeris crucem ferens, in ejus corde redemptionis misteria mirabiliter impressit, quae in praesentem usque diem cernuntur. In ejus quoque felle post mortem tres globuli reperti sunt imagine, colore et pondere pares; et in ipsa fellis vesicula ita dispositi, ut trianguli formam redderent, sanctissimae Trinitatis symbolum referentes. Prophetiae dono illustris multa futura praedixit. Intimas cogitationum inspexit, ac revelavit Sororibus saepe occultas eorum noxas, sermones, animique sensa detexit: cum unam ex iisdem a daemone obsessam vidisset; eam, ut labem occultam Confessione expiaret, admonuit. Denique post innumera virtutum documenta, pluribus clara miraculis, divinitus ad cœlum vocata, decimosexto Kalendas Septembris, anno

salutis millesimo trecentesimo octavo, aetatis quadragesimo, migravit ad sponsum.

℟. Afferentur Regi.

Lectiones III. Noct. Homilia Sancti Joannis Chrisostomi, in communi Virginum 2. loco. Accesserunt ad Jesum Pharisei tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam.

IN FESTO

SS. ROSARII B. M. V.

TOTUM DUPLEX.

AD VESPERAS

Super Psalm. Antiph.

HÆc est Regina virginum, quae genuit Regem, velut rosa decora: Virgo Dei Genitrix, per quam reperimus Deum, et hominem: alma Virgo intercede pro nobis omnibus.

Psalm. Laudate pueri *cum ceteris.*

Capitulum. Eccl. 39. *v.* 17.

OBaudite me divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate, quasi libanus odorem suavitatis habete.

℟. 1. Sumite psalterium etc.

Hymnus.

Cœlestis aulae Nuncius
Arcana pandens Numinis,
Plenam salutat gratia
Dei Parentem Virginem.
Virgo propinquam sanguine
Matrem Joannis visitat,
Qui clausus alvo gestiens
Adesse Christum nunciat.

Verbum, quod ante saecula
E mente Patris prodiit.
E Matris alvo Virginis
Mortalis Infans nascitur.
Templo Puellus sistitur,
Legique paret Legifer;
Hic se Redemptor paupere
Pretio redemptus immolat.
Quem jam dolebat perditum
Mox laeta Mater invenit
Ignota doctis mentibus
Edisserentem Filium.
Sit Trinitati gloria,
Quae sacra per Mysteria
Orantibus det gratiam,
Qua consequantur gloriam. Amen.

℣. Regina Sacratissimi Rosarii ora pro nobis.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat.

Antiph. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix, quam videntes filiae Sion vernantem in floribus rosarum, et liliis convallium beatissimam praedicaverunt, et reginae laudaverunt eam.

Oratio.

Deus, cujus Unigenitus per vitam, mortem, et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit: concede quaesumus, ut haec mysteria sanctissimo Beatae Mariae Virginis Rosario recolentes, imitemur quod continent, et quod promittunt assequamur. Per eumdem Dominum etc.

Ad Complet. sup. Psalm.

Antiph. Virgo Maria.

Ad Nunc dimittis Antiph. Corde, et animo.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Solemnitatem Rosarii Virginis Mariae celebremus ; * Christum ejus filium adoremus Dominum.

Hymnus.

In monte olivis consito
Redemptor orans procidit,
Moeret, pavescit, deficit
Sudore manans sanguinis.
A proditore traditus
Raptatur in poenas Deus,
Durisque vinctus nexibus
Flagris cruentis caeditur.
Intexta acutis sentibus
Corona contumeliae
Squallenti amictum purpura
Regem coronat gloriae.
Molis Crucem ter arduae
Sudans, anhelans, concidens,
Ad Montis usque verticem
Gestare vi compellitur.
Confixus atro stipite
Inter scelestos innocens,
Orando pro tortoribus
Exanguis efflat spiritum.
Sit Trinitati gloria,
Quae sacra per Mysteria
Orantibus det gratiam,
Qua consequantur gloriam. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Angelus Gabriel nunciavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto.

Psal. de Comm. Virg.

Antiph. Intravit Maria in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.

Antiph. Peperit filium suum primogenitum, et reclinavit eum in praesepio.

℣. Sancta Dei Genitrix Virgo semper Maria.

℟. Intercede pro nobis ad Dominum Jesum Christum.

De Libro Ecclesiastici. *Prov. 8.*

Lectio I.

In omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor. Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhabita, et in Israel haereditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio, et ante secula creata sum, et usque ad futurum seculum non desinam; et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Tu autem.

℟. 1. Sumite psalterium jucundum in insigni die solemnitatis vestrae: * Et exultate Virgini adjutrici nostrae.

℣. Cantate ei canticum novum, annunciate inter gentes gloriam ejus. Et exultate.

Lectio II.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Jerico. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis.

Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi, et quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris, et gratiae. Tu autem.

℟. 2. Vidi speciosam ascendentem desuper rivos aquarum cujus inaestimabilis odor erat nimis: * Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.

℣. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Et sicut.

Lectio III.

Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae, et veritatis. In me omnis spes vitae, et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel, et favum. Memoria mea in generationes seculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt. Tu autem.

℟. 3. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt: * Et reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Et reginae. Gloria. Et reginae.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Cum inducerent Jesum parentes ejus, ut sisterent eum Domino, Simeon accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum.

Antiph. Requirentes Jesum parentes ejus, invenerunt illum post triduum in medio doctorum.

Antiph. Cœpit contristari, et factus est sudor ejus in horto, sicut guttae sanguinis.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Lectio IV.

Cum Albigensium haeresis, sacrosanctae Matris Dei dignitati potissimum infesta, in regione Tolosatium impie grassaretur, beatissimus pater Dominicus, qui eo tempore Prædicatorum Ordinis fundamenta jecit, in eam haeresim debellandam totus incumbens, ob idque Beatissimam Virginem assiduis precibus interpellans, ab ipsa monetur, ut Rosarium omni mentis fervore praedicet, velut singulare ad evertendas haereses, et vitia exinguenda praesidium. Coepit ergo deinceps incredibili cum animarum fructu saluberrimum Rosarii institutum per beatum Dominicum promulgari: quem ejus auctorem fuisse, Leo Decimus, Pius Quintus, Gregorius Tertius decimus, et Sixtus Quintus Apostolicis diplomatibus profitentur.

℟. 4. Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri, fecisti viriliter: * Quia cunctas haereses sola interemisti.

℣. Pulchra es, et decora, terribilis ut castrorum acies ordinata. Quia.

Lectio V.

Est autem Rosarium, sive psalterium, sacra quædam formula precandi Deum in honorem beatae Mariae: qua per quindecim salutationis Angelicae decades, interjecta singulis oratione Dominica, quindecim praecipua Redemptionis humanae mysteria piis meditationibus percensentur. Inter innumeros porro ejus fructus merito navalis ea victoria celebratur, quam anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo, die septima Octobris, quae Dominica fuit, ad Naupactum Achaici sinus de Turcarum classe longe potentiori Christiani Principes reportarunt. Nam cum eo die sodalitates Rosarii solitas preces, ac processiones haberent, eas, pie creditum est, pro Christiana classe plurimum profuisse.

℟. 5. Dextera tua magnificata est in fortitudine, dextera tua confregit inimicos: * Submersi sunt in aquis vehementibus, et operuit eos mare.

℣. Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Submersi.

Lectio VI.

Illud etiam ipsum Gregorius Tertius decimus litteris Apostolicis aperte testatus est. Quo circa Clemens Octavus Apostolica auctoritate confirmans festum Rosarii Dominica prima Octobris ab eodem Gregorio propterea institutum, publicis Ecclesiae tabulis haec inscribenda praecepit. Die septima Octobris Commemoratio Sanctae Mariae de Victoria, quam Pius quintus Pontifex Maximus ob insignem victoriam a Christianis bello navali, ejusdem Dei Genitricis auxilio, hac ipsa die de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit: et Gregorius tertius decimus prima hujus mensis Dominica die, annuam solemnitatem Rosarii ejusdem beatissimae Virginis celebrandam, decrevit.

℟. 6. Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus: * Et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℣. Dabitur capiti tuo augmentum gratiarum, et corona inclyta proteget te. Et in capite. Gloria. Et in capite.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit.

Antiph. Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput ejus.

Antiph. Crucis imperium super humerum ejus; regnavit a ligno Deus.

℣. Speciosa facta es, et suavis.

℟. In deliciis tuis sancta Dei Genitrix.

Homilia in Evang. Liber generationis. *ut in festo Nativitatis B. Mariae Virg.*

℟. 7. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; * Et flores mei fructus honoris, et honestatis.

℣. Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. Et flores.

℟. 8. Surge, propera, amica mea; jam enim hyems transiit, imber abiit, et recessit: * Flores apparuerunt in terra nostra.

℣. Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Flores.

℟. 9. Obaudite me divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate: * Quasi libanus odorem suavitatis habete.

℣. Florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam. Quasi. Gloria. Quasi.

IN LAUDIBUS.

Antiph. Laetare Virgo Mater, alleluja. Surrexit Christus de sepulchro, alleluja.

Psalm. Dominus regnavit. *cum ceteris.*

Antiph. Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubae, alleluja.

Antiph. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluja.

Antiph. Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum, alleluja.

Antiph. Exaltata est Virgo Maria super choros Angelorum, et in capite ejus corona stellarum duodecim, alleluja.

Capitulum. Obaudite me. *ut in primis vesp.*

Hymnus.

Jam morte victor obruta
Ab inferis Christus redit,
Fractisque culpae vinculis
Coeli recludit limina.
Visus satis mortalibus
Ascendit ad cœlestia,
Dextraeque Patris assidet
Concors Paternae gloriae.
Quem jam suis promiserat
Sanctum daturus Spiritum,
Linguis amoris igneis
Mœstis alumnis impluit.
Soluta carnis pondere
Ad astra Virgo tollitur,
Excepta coeli jubilo,
Et Angelorum canticis.
Bis sena cingunt sidera
Almae Parentis verticem,
Throno propinqua Filii
Cunctis creatis imperat.

Sit Trinitati gloria,
Quae sacra per Mysteria
Orantibus det gratiam,
Qua consequantur gloriam. Amen.

℣. Elegit eam Deus, et praeelegit eam.
℟. Et habitare eam facit in tabernaculo suo.

Ad Bened.

Antiph. Solemnitatem hodiernam Sanctissimi Rosarii Genitricis Dei Mariae devote celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.
Ad Tertiam Capitulum. Obaudite *ut in 1. vesp.* ℟℟. ℣℣. *ut in festo Purificationis B. M. V.*

Ad Sextam Capit. Ibid.

Florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis.

Ad Nonam Capit. Eccl. 24.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Jerico.

IN II. VESPERIS.

Super Psalmos Ant. 1. Laudum. Capit, ut in 1. vesp.

Hymnus.

Te gestientem gaudiis,
Te sauciam doloribus,
Te jugi amictam gloria,
O Virgo mater, pangimus.
Ave, redundans gaudio
Dum concipis, dum visitas,
Et edis, offers, invenis,
Mater Beata Filium.

Ave dolens, et intimo
In corde agonem verbera,
Spinas, crucemque Filii
Perpessa, Princeps Martyrum.
Ave in triumphis Filii,
In ignibus Paracliti,
In regni honore, et lumine,
Regina fulgens gloria.
Venite, gentes, carpite
Ex his rosas mysteriis,
Et pulchri amoris inclytae
Matri coronas nectite.
Sit Trinitati gloria,
Quae sacra per Mysteria
Orantibus det gratiam
Qua consequantur gloriam. Amen.

Ad Magnificat.

Antiph. Beata Mater, et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sacratissimi Rosarii solemnitatem.

Per octav. et in octava die, Lectiones ut in Breviario. Invit. Hymni etc. ut in die. Sequentes Antiph. dicantur quotidie per Oct.

Ad Bened.

Antiph. Speciosa facta es, et suavis in deliciis Virginitatis sancta Dei Genitrix, quam videntes filiae Sion vernantem in floribus rosarum, et liliis convallium, beatissimam praedicaverunt, et Reginae laudaverunt eam.

Ad Magnif.

Antiph. Sancta Maria Virginum piissima, suscipe vota servulorum assidua, lapsos erige, errantes corrige, trementes corrobora, pusillanimes conforta, ut tibi semper referamus laudes, quam Dei summi colimus Genitricem.

IN FESTO

MATERNITATIS B. M. V.

DUPL. MAJ.

Pro Dominio Veneto.

Ad Vesperas Antiph. Beata es Virgo Maria : *cum reliquis de Laudibus.*
Psalmi consueti de Sancta Maria, ut in ejus Officio parvo LXXXI.

Capitulum. *Eccl.* 24.

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

Hymn. Ave maris Stella.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Magnificat.

Antiph. Cum jucunditate Maternitatem beatæ Mariae semper Virginis celebremus.

Oratio.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum.

Deinde fit commem. Dominicae occurr.

In fine Hymnorum ad Laudes, et Horas dicitur : Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, etc.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Maternitatem beatae Mariae virginis celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

CÆlo Redemptor praetulit
Felicis alvum Virginis,
Ubi caduca membra,
Mortale corpus induit.
Haec Virgo nobis edidit
Nostrae Salutis auspicem,
Qui nos redemit sanguine,
Pœnas, crucemque pertulit.
Spes læta nostro e pectore
Pellat timores anxios:
Hac quippe nostras lacrymas
Precesque defert Filio.
Voces Parentis excipit,
Votisque natus annuit,
Hanc quisque semper diligat,
Rebusque in arctis invocet.
Sit Trinitati gloria,
Quae Matris intactum sinum,
Ditavit almo germine,
Laus sit per omne saeculum. Amen.

Antiph., et Psalmi Noctur. ut in ejus Officio parvo. LXXXIII.

IN I. NOCTURNO

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.
℟. Intende, prospere procede, et regna.

De libro Ecclesiastici. Cap. 24.

Lectio I.

EGo ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in Cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem Terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti, et in omni populo, et in omni gente primatum habui, et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quaesivi, et in hereditate Domini morabor.

℟. Felix es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima: * Ex qua ortus est Sol justitiae Christus Deus noster, per quem salvati, et redempti sumus.

℣. Maternitatem beatae Mariae Virginis cum gaudio celebremus. Ex.

Lectio II.

Tunc praecepit et dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hereditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in Civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Qui Cœlum Terramque regit, in tua se clausit viscera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus Fructus ventris tui. Qui.

Lectio III.

Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, et quasi Cypressus in Monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jerico. Quasi oliva speciosa in Campis,

et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.

℟. Multae Filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas: * Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix.

℣. Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Maternitatem. Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

IN II. NOCTURNO.

℣. **Diffusa est gratia in labiis tuis.**

℟. **Propterea benedixit te Deus in aeternum.**

Ex Sermone S. Leonis Papae.

Serm. 1. de Nativit. Domini.

Lectio IV.

Virgo regia Davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu, Divinam humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore, et ne superni ignata consilii ad inusitatos paveret affatus, quod in ea operandum erat a Spiritu Sancto, colloquio didicit Angelico, nec damnum credidit pudoris Dei Genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficientia de Altissimi Virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam praeeuntis attestatione miraculi. Donatur Elisabeth inopinata foecunditas, ut qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur et Virgini. Verbum igitur Dei Filius, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, propter liberandum hominum ab aeterna morte factus est homo.

℟. Gloriosae Virginis Mariae Maternitatem dignissimam recolamus, * Cujus Dominus humilitatem respexit, quae Angelo nuntiante, concepit Salvatorem Mundi.

℣. Christo canamus gloriam in hac sacra sollemnitate mirabilis Genitricis Dei. Cujus.

Serm. 2. de Nativit. Domini.

Lectio V.

Ingreditur haec infima Jesus Christus Dominus noster de Cœli Sede descendens, et a Paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens esse cœpit in tempore. Nova autem nativitate genitus est; conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis injuria, quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiae naturam, et humanae carnis, inquinamenta nesciret. Origo dissimilis sed natura consimilis, humano usu et consuetudine, quod credimus, caret: sed Divina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, Virgo pepererit, Virgo permanserit.

℟. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitae communicavimus, * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris: et a periculis cunctis libera nos Sancta Dei Genitrix. Sola.

Lectio VI.

Oportuit ut primam Genitricis integritatem nascentis, incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et Sanctitatis hospitium Divini Spiritus virtus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiae donare virtutem, ut Virginitas, quae in aliis non poterat salva esse generando, fieret aliis imitabilis renascendo. Hoc ipsum autem, quod Christus nasci elegit ex Virgine: nonne apparet altissimae fuisse rationis: ut scilicet humano generi natam

salutem Diabolus ignoraret, et spirituali latente conceptu, quem non alium videret, quam alios, non aliter crederet natum esse, quam ceteros. Quod ut fieret, editus est Christus ex Virgine, quam Spiritus Sanctus fœcundavit, et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, haec inde purgationem traxit, unde concepit.

℟. Benedicta inter Mulieres; et benedictus Fructus ventris tui: * Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?

℣. Respexit humilitatem Ancillae suae, et fecit mihi magna qui potens est. Unde.

Gloria Patri. Unde.

IN III. NOCTURNO.

℣. Fecit mihi magna qui potens est.

℟. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 1.*

In illo tempore Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt Parentes ejus. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Hom. 1. de Laud. Virginis Matris.

Deum et Dominum Angelorum Maria suum filium appellat, dicens, Fili, quid fecisti nobis sic * Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, et pro magna habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sint, et vocati Angeli: testante David; qui fecit Angelos suos Spiritus. Maria vero Matrem se agnoscens, Majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium, nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paullo post subdit Evangelista: Et erat subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus et Potestates obediunt, subditus erat Mariae.

℟. Beata es Virgo Maria Dei Genitrix, quae credidisti Domino, perfecta sunt in te, quae dicta sunt tibi: * Propterea benedixit te Deus in aeternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Ben. Cujus festum colimus, ipsa Virgo Virginum.

Lectio VIII.

Mirare utrum libet, et elige, quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocumque jerit. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quae etiam praeit Disce? homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De Auctore tuo loquens Evangelista: Et erat, inquit, subditus illis. Erubesce superbe cinis. Deus se humiliat, et tu te exaltas. Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis Auctori.

℣. Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas: et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fœcunditas. Et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fœcunda virginitas: et incomparabilis prorsus fœcunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile? quid non incomparabile? quid non singulare? Mirum vero si non haesitas in horum ponderatione; quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet potius stupenda sit fœcunditas in Virgine, an in Matre integritas: Sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas? Nisi quod indubitanter horum singulis praeferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est, atque felicius omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirabilis cernitur et legitur in Sanctis suis, mirabilem se exhibuit in Matre sua? Veneramini ergo, Conjuges, et carne corruptibili carnis integritatem: Vox Sacrae Virginis in Virgine fœcunditatem. Imitamini omnes homines Dei Matris humilitatem.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam respexit Deus, Et.

Gloria Patri. Et.

Nona Lect. Homil. Dominicae occurr.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas, Antiphona.

Beatà es Virgo Maria, quae omnium portasti Creatorem

Psal. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominic.* 10.

Antiph. Genuisti, qui fecit, et in aeternum permanes Virgo.

Antiph. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Dominus.

Antiph. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Antiph. Vederunt eam Filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam. *Capit.* Qui creavit me *ut supra.*

Hymnus.

Te Mater alma Numinis,
Oramus omnes supplices,
A fraude nos ut Daemonis
Tua sub umbra protegas.
Ob perditum nostrum genus,
Primi Parentis crimine,
Ad inclytum Matris decus
Te Rex supremus extulit.
Clementer ergo prospice
Lapsis Adam posteris
A Te rogatus Filius
Deponat iram vindicem.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, et Almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

*

℣. Germinavit radix Jesse : orta est Stella ex Jacob.
℟. Virgo peperit Salvatorem : Te laudamus Deus noster.

Ad Bened.

Antiph. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam admirabilem Maternitatem.

Oratio.

Deus, qui de beatae. *ut supra*
Deinde sit comm. Dominicae occurr.
Ad Horas, Antiph., et Oratio, ut in Laudibus, reliqua ut in Officio B. Mariae in Sabbato.
Ad Primam in ℟. br. Qui natus es.
In 2. Vesp. omnis ut in primis.

Ad Magnificat.

Antiph. Maternitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit Universo Mundo: ex te enim ortus est sol justitiae Christus Deus noster.
Deinde fit commem. Dominicae occurr.

IN FESTO

S. CALLISTI PP. et MM.

DUPLEX.

Oratio.

Deus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere; ad amorem tuum nos misericorditer, per sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Callistus Romanus praefuit Ecclesiae, Antonino Eliogabalo Imperatore. Constituit Quatuor anni Tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum ab omnibus servaretur. Ædificavit Basilicam S. Mariae Transtyberim, et in Via Appia vetus Cœmeterium, in quo multi Sancti Sacerdotes, et Martyres sepulti sunt, ampliavit; unde ab eo Callisti Cœmeterium appellatur.

℟. Honestum.

Lectio V.

Ejusdem pietatis fuit, quod B. Calepodii Presbyteri, et Martyris corpus, jactatum in Tyberim, conquiri diligenter curavit, et inventum honorifice sepelivit. Palmarium Consulari, Simplicium Senatoria dignitate illustres, Felicem, et Blandam, qui deinde omnes martyrium subiere, cum baptismo lustrasset; missus est in carcerem, ubi privatum militem ulceribus plenum, admirabiliter sanitati restitutum, Christo adjunxit; pro quo idem, recens adhuc a fide suscepta, plumbatis usque ad mortem caesus, occubuit.

℟. Desiderium.

Lectio VI.

Sedit Callistus annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque mense Decembri, creavit Presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Post longam famem crebrasque verberationes, praeceps actus in puteum, atque in martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore, illatus est in Cœmeterium Calepodii, Via Aurelia tertio ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam S. Mariae Transtyberim, ab ipso

aedificatam delatum, sub Ara majori, maxima veneratione colitur.

℟. Stola jucunditatis.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Nihil est opertum, *ut in Breviario hac die.*

NOVEMBER

In Festo.

S. ZACHARIÆ

Proph. Conf. Patris S. Joannis Baptistae. Duplex.

Oratio.

Vigeat, quaesumus Domine, semper in cordibus nostris divinae tuae praesentiae memoria, beati Zachariae Sanctissimi Praecursoris tui Patris suffragantibus meritis: ut te super omnia diligentes ad promissiones tuas, quae omne desiderium superant, sine offensione curramus. Qui vivis et regnas etc.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente

IN II. NOCTURNO

Sermo S. Joannis Chrysostomi Humil. 2. contra Anomaeos.

Lectio IV.

Fuit Zacharias mirae virtutis, praelarique nominis, Sacerdotio praeditus et patrocinio totius populi commeritus apud Deum immortalem: qui sancta Sanctorum ingressus, ipsum scilicet penetrale, quod uni fas erat illi inspicere,

ac pro populo Deo supplicans, et Dominum reddens propitium famulis, quasi quidam esset interpres Dei, et hominum, vidit Angelum infra parietem sacri illius Domicilii stantem, cujus aspectu ictus atque expavidus audiit: Noli timere Zacharia: exaudita est oratio tua, et ecce Elisabeth uxor tua pariet filium.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Sed unde hæc verba consequendi habent rationem? Ille pro populo rogabat, pro peccatis veniam suis conservis implorabat: hic, noli timere, inquit, nam exaudita est oratio tua, atque exaudiendi indicium addit, Filium in luce venturum Joannem. Vide quam recte ista sequantur. Cum pro peccatis rogaret populi, nasci ex eo debere filium, qui clamaret. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ratione sane optima, ita Angelus retulit, exaudita est oratio tua.

℟. Amavit eum Dominus.

Lectio VI.

Quid ille ad hæc? conspicatus est suam ætatem, suam canitiem, animadvertit suæ uxoris naturam sterilem, atque ita diffidit, et modum quo ita fieret, petiit. Nonne illi seni dixeris ignoscendum, cum rerum ordinem petat, et legem naturae consideret? Sed tamen Deo nullam veniam mereri visus est. Cum enim asserit Deus, nullus rerum consequentiae, aut naturae necessitati locus relinquitur. Idcirco moleste Angelus tulit, nec Sacerdotii quidem negotio pepercit; immo ob ipsum pœnam illi subeundam censuit graviorem. Qui enim plusquam cæteri obtinebat honoris, fidem quoque habere debebat caeteris ampliorem. Et eris, inquit, tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo haec fient.

℟. Iste homo perfecit.

IN III. NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 1. 5.*

Fuit in diebus Herodi Regis Judaeae Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, et uxor ejus de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Sermo 91.

Aurum de terra legere qui noverunt, ubi divitem senserit venam, ibi quidquid artis est, quidquid laboris impendunt. Et nos quia in sancto Zacharia caelestem novimus latere thesaurum, in ipso totum, quod sermonis est nostri, quod vestri auditus est, occupemus. Fuit, inquit, in diebus Herodis Regis Judaeae Sacerdos quidam nomine Zacharias ex vice Abia, et uxor ejus de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum. Ambo justi, quia in ambobus erat una justitia. Ambo justi, quia constabat inter eos non de diligentia, sed de sanctitate conjugium. Ambo justi, quia sexu dispares, pares meritis habebantur. Ambo justi, quia ut erat in duobus una caro, sic erat in duobus unus spiritus.

℟. Iste est.

Lectio VIII.

Erant, inquit, justi ambo ante Deum. Et ubi est illud; non justificabitur in conpectu tuo omnis vivens? Ante homines, forte quis putetur justus, quia homines, ut culpas hominum norunt, sic vitia mentis ignorant. Ante Deum vero, cui peccatoris claustra patent, quem cogitationum secreta non latent, quis innocens habetur, et justus? Estne homo, qui corde non peccet, non cogitatione delinquat, non offendat dubitatione, non lapsum trepidationis incurrat? Moyses dubitat, Aaron deviat, Petrus negat, et quis justus? Et quomodo ambo justi ante Deum? Ante Deum,

sed semper. Ambo justi apud Deum non labore, sed gratia. Audi Apostolum: Justificati gratis per gratiam ipsius.

℣. Sint lumbi.

Lectio IX.

Erant, inquit, ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Dei sine querela. Incedentes, dixit, ut eos ostenderet encurrisse virtutibus, non stetisse, et ambulasse in via justitiae, non sedisse nec remansisse in itinere mandatorum, sed ad mandatorum plenitudinem pervenisse. Incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Dei sine querela: Beati, quos percutit, non vulnerat crimen, sed beatiores isti, quos tetigit nec querela. Sine querela; si pueritia, si juventus sine querela est, qualis horum senectus! si tale initium, qualis finis! Ascendisse justificationum vertices, colles mandatorum, nec in aliquo titubasse; est gratiae singularis, est unicae felicitatis insigne.

Te Deum Laudamus.

Reliqua de Communi Confessoris non Pontificis, praeter Orationem propriam, et fit commemor. Oct. Omnium Sanctorum.

Die VI. Novembris

In Festo

S. LEONARDI *Confessoris Duplex*

Oratio

Majestati tuae quaesumus Domine, sancti Confessoris tui Leonardi nos pia jugiter commendet oratio: ut quem debito veneramur obsequio, ipsius suffragio sublevemur optato. Per Dominum nostrum.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Leonardus genere nobili ortus in Francia, cum puer adhuc esset a Clodoveo Francorum Rege e sacro Baptismi Fonte, christiano ritu susceptus et a beato Remigio Remensi Archiepiscopo edoctus, ab ipsa prima aetate virtutum omnium solida fundamenta jecit; nam Dei charitate fervens, et proximi dilectione mundanis studiis renuntians, totum se divino cultui, et Apostolicae vitae consecravit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Vix pueritiam egressus; carceratis visitandis, et liberandis sedulam operam dedit; a Rege nempe obtinuerat, ut in vincula conjectis, quos ipse visitasset abscendenti libera potestas fieret. Munificus erat in pauperes, castus, modestus, rerum caelestium contemplationi addictus, ab omni ambitionis vitio ita alienus, ut in aulam a Rege accitus, ad Episcopatum promovendus, imparem huic honori se reputans, humiliorem vitam sibi ducendam esse duxerit.

℟. Amavit eum Dominus.

Lectio VI.

Inde in Aquitaniam perrexit, Divina revelatione admonitus, et tractum Bituricensem lustrans, regionem illam Divini verbi praedicatione, et multis miraculis illustravit. Cum demum multa hominum millia ad Christi fidem convertisset, in Silvam quamdam agri Lemovigensis sese abdidit, ibique extructo in honorem Deiparae Virginis Monasterio, omnis virtutis, ac praecipue charitatis erga carceratos officiis, mitisque operibus clarus, obdormivit in Domino octavo Idus Novembris

℟. Iste homo perfecit omnia.
In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Nolite timere. *de communi 2. loco.*

S. JACOBI DE MARCHIA CONF.

Dup. Omn. de comm. Conf. non Pont. 1. loco praeter lect. I. Noct. de Script. occurr., et sequentia.

Oratio.

Deus qui animarum salutem, et peccatores e vitiorum caeno ad viam virtutis revocandos, Beatum Jacobum Confessorem tuum Evangelii praeconem eximium effecisti: concede propitius, ut ejus intercessione a peccatis omnibus expiati, vitam consequamur aeternam. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Jacobus Monte Prandono Piceni Oppido in Dioecesi Asculana piis parentibus natus ab ipsa pueritia bonarum artium, et literarum studia magna cum pietate conjunxit. Adolescens mundi vanitatem cogitans, Carthusianorum Instituto nomen dare constituerat; Deo tamen, qui eum ad animarum salutem, et fidei propagationem destinaverat, ducente, Minorum Familiam ingressus est. In ipso Tyrocinio; quod in Coenobio carcerum apud Assisium posuit, obedientia, paupertate, ceterisque virtutibus ita excelluit, ut religiosae perfectionis exemplar absolutissimum ab omnibus haberetur. Virginitatem perpetuo illibatam servavit, trium horarum somno contentus, reliquam noctem Divinis in laudibus, cruentis flagellationibus, rerumque caelestium contemplatione transigebat. Loricam ferream supra nudas carnes annis gestavit prope viginti, quam postea jussu Sacerdotis, qui ejus confessiones excipiebat cilicio asperrimo commutavit. Semel in die pane, et aqua vescebatur, additis raro crudis fabis, herbisque silvestribus obsonii loco. Quam durissimam vivendi rationem tenuit, donec aetate provectum, et

ob assiduos labores mala affectum valetudine, mitius aliquando secum ageret, Sancti Bernardini Senensis auctoritas impulit.

Lectio V.

Sacerdos factus, et ad munus concionandi delectus, vivo et efficaci sermone flagitia hominum constanter, et libere increpabat. Nec viros nobiles ac potentes reprehendere est veritus, si quos criminibus irretitos offendisset: tantusque fiebat ad eum audiendum concursus, ut cum frequentiam capere vel magna templa non possent, in plateis, atque areis suggesta erigi passim oporteret. Hinc Imperatores, Reges, et Praesules amplissimi certatim apud se eum concionantem habere voluerunt. Mediolani de Magdalenae lacrymis dicens, sex et triginta impudicas mulieres a turpi quaestu avocavit; quibus etiam pecunia corrogata ad pie vivendum domicilium extruxit. Tum Sfortia Duce, ac Civibus vehementer instantibus, ut Archiepiscopale munus susciperet, eam dignitatem constantissime recusavit. Bis centena infidelium millia baptismi lavacro tinxisse, et in Hungaria brevi tempore quinquaginta Haereticorum millia ad Ecclesiae sinum reduxisse fertur. In Italia nequissimam Fraticellorum sectam iterum ac tertio reviviscentem, penitus extinxit. Ferranensi Concilio, quod postea Florentiam translatum fuit, interfuit. Sigismundum, et Albertum Imperatores in maximis Regni difficultatibus, praesertim vero expeditione in Turcas promovenda, et Haereticis debellandis, consilio, et opera adjuvit. Sancto Joannis a Capistrano Sacri socialis belli adversus Turcas, Pontificiae legationis Consiliario in Hungaria defuncto suffectus fuit.

Lectio VI.

Martini Quinti, Eugenii Quarti, Nicolai Quinti, Callisti Tertii, Pii Secundi, Pauli item Secundi, et Sixti Quarti contra Haereticos Fraticellos, Manicheos redivivos, Patarenos, Hussitas, Taboritas legationibus functus est. Quibus in expeditionibus Italiam universam non semel percucurrit; Illyricum tertio, Pannoniam, Sarmatiam, Bohemiam finitimasque Provincias peragravit. Tot autem itine-

ra sine saeculo et pera, Apostolorum more pedibus confecit; ope Divina unice fretus; quae tum maxime patuit, cum rejectus a Nauta Padum amnem, pallio super aquas instrato, cum Socio pertransiit. Denique Neapoli quo Sixti Quarti jussu, instante Ferdinando Rege, profectus erat, extremo morbo correptus, Ecclesiae Sacramentis rite susceptis, anno millesimo quadringentesimo septuagesimosexto, aetatis octogesimoquinto, quarto Kalendas Decembris spiritum Deo reddidit. Multis Post obitum miraculis claruit, quibus rite cognitis, Urbanus Octavus ejus Officium, et Missam ab Ordine Fratrum Minorum, et a Clero Neapolis celebrari permisit, quae Jacobum inter alios Patronos cooptaverat. Corpus ejus in Æde Sacra Sanctae Mariae Novae incorruptum adhuc, et flexibile permanet. Quod cum Vincentius Cardinalis Ursinus, qui post Benedictus Decimus tertius fuit, suis manibus contrectaret, et Philippo Quinto Hispaniae Regi venerandum offerret, odorem suavissimum expirare compertum est. Idem vero Pontifex anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto Jacobum novis miraculis coruscantem in Sanctorum numerum retulit.

DE SACRIS RELIQUIIS

Quae in Ecclesiis nostrae Diœceseos asservantur.

Omnia de Comm. plurim Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Auge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum reliquiis mirabilia operaris: et fac nos immortalis gloriae participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO

Fratres debitores *etc. de comm.* ***Mm.***

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ex Tractatu S. Joannis Damasceni De Fide Orthodoxa.

Christus Dominus Sanctorum Reliquias, velut salutiferos fontes, praebuit, ex quibus plurima nobis beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit. Nec vero quisquam huic Sermoni fidem detrahat; nam si aqua in deserto ex aspera, et solidà rupe, atque ex asini maxilla ad sedandam Samsonis sitim, Deo ita volente, prosiliit, eritne, cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum reliquiis suave unguentum scaturire? Minime certe iis quidem quibus Dei potentia, honorque, quo Sanctos suos afficit, perspectus, et exploratus est. Atque illud quidem veteri lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, consideraretur immundus; verum hi in mortuorum numero minime habendi sunt.

Lectio V.

Ex quo enim ipsamet vita, ac vitae Auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe resurrectionis, fideique erga eum diem extremum clauserunt: mortuos haudquaquam appellamus. Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Per ea Daemones expelluntur, morbi profligantur, aegroti sanantur; caeci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes, ac moerores discutiuntur, ac denique omne donum optimum a Patre Luminum eorum opera ad eos, qui fide minime dubia postulant, descendit. Quid non laboris suscipias, ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur hi onorandi sunt, qui totius huma-

ni generis Patronos se profitentur, ac Deo nostri caussa supplicant.

Lectio VI.

Honorandi certe, et quidem ita, ut in eorum nomine Templa extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur, quo nimirum laetitia nostra iis, a quibus invitamur, congruat. ac nondum eos colere, et revereri studemus, offendamus potius, et irritemus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem quoque Servi ipsius oblectantur: quibus autem Deus offenditur, iisdem etiam ejus milites offenduntur. Quocirca in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, et compunctione, et eorum, qui in egestate versantur, conciliatur; Sanctos colamus, Statuas ipsis, et visibiles imagines erigamus, immo ipsi virtutibus eorum imitandis hoc consequamur, ut vivae eorum Statuae, atque imagines simus.

DECEMBER.

IN FESTO

TRANSLATIONIS ALMÆ DOMUS B. M. V. *dupl. maj.*

Pro Ecclesiastico, et Veneto Statu, et Alibi.

Ad Vesperas.

Antiph. Domum tuam *cum reliquis de Laudibus, infra.*
Psalmus. Dixit Dominus *cum reliquis ut in Officio parvo B. M. Virg.*

Capitulum. *Eccl.* 24.

In omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor. Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.
Hymnus. Ave maris stella, *pro ut in Officio parvo Beatae Mariae Virg.*

℣. Haec est domus Domini firmiter aedificata.
℟. Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Magnificat.

Antiph. Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia haec est Domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi: dicit Dominus.

Oratio.

Deus, qui beatae Mariae Virginis Domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiae tuae mirabiliter collocasti: concede, ut segregati a tabernaculis peccatorum, digni efficiamur habitatores Domus sanctae tuae. Per eumdem Dominum nostrum.

Et fit commem. Feriae.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Salvatorem mundi in Domo Virginis de Spiritu sancto conceptum, * Venite, adoremus.

Psalmus. Venite, exultemus. 1.

Hymn. Cœlestis Urbs Jerusalem *prout in festo Dedic. Ecclesiae.*

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Elevata est magnificentia tua super cœlos.

Psalm. Domine Dominus noster. *cum reliq. prout in Officio parvo B. M. Virg.*

Antiph. In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo.

Antiph. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus, et mundo corde.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.
℟. In longitudinem dierum. Pater noster.

Absolutio Exaudi Domine.

℣. Jube domne benedicere.

Ben. Benedictione perpetua.

De libro tertio Regum.

Lectio I. *Cap. 8.*

STetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiae Israel, et expandit manus suas in cœlum: et ait. Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? Si enim cœlum, et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis Domus haec, quam ædificavi? Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus, audi hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie: ut sint oculi tui aperti super Domum hanc nocte ac die: super Domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias deprecationem servi tui, et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto: et exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, et cum exaudieris, propitius eris.

℟. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum: cujus inaestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: * Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.

℣. Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrae, et thuris? Et sicut.

Lectio II.

Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) et agentes poenitentiam, et confitentes nomini tuo venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in Domo hac: exaudi in cœlo, et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit cœlum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam: exaudi eos in cœlo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel: et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.

℟. Quae est ista, quae ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol: * Terribilis ut castrorum acies ordinata?

℣. Filia Sion tota formosa, et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol. Terribilis.

Lectio III.

Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuae, et repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terrae, quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum ubique;) cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel; et probent quia nomen tuum invocatum est super Domum hanc.

℟. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Gloria Patri. Viderunt.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum, et in saeculum saeculi.

Antiph. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Antiph. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

℣. Domine, dilexi decorem Domus tuae.

℟. Et locum habitationis gloriae tuae. Pater noster.

Absolutio. Ipsius pietas.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermone 52. de divers.

Lectio IV.

Sapientia, quae Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens aedificavit sibi Domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide et operibus praeparare? nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit, fuerit dico per praesentiam majestatis, ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuntius caelestis, qui ei arcana mysteria reserans ait, Ave gratia plena, Dominus tecum: et post pauca: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum sanctum, habes Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum.

℟. O quam metuendus est locus iste! * Vere non est hic aliud, nisi Domus Dei, et porta cœli.

℣. Haec est Domus Domini firmiter aedificata, bene fundata est supra firmam petram. Vere.

Lectio V.

Utrum autem et quatuor principales virtutes, tamquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus, an fortitudinem habuerit, quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quae, abjectis saecularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Nisi fallor, haec virgo est, quae apud Salomonem legitur, Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Porro, quod temperans, et justa fuerit, ex Angeli collocutione, et sui ipsius responsione, luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum: non se extulit, quasi quae ex singulari

gratiae privilegio benediceretur, sed siluit, et qualis esset insolita haec salutatio secum cogitavit. Qua in re, quid, nisi temperans fuit? At vero, cum de caelestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quaesivit, quomodo conciperet, et pareret, quae virum utique non cognosceret, et in hoc sine dubio prudens extitit.

℟. Fundata est Domus Domini supra verticem montium, et exaltata est super omnes colles, * Et venient ad eam omnes Gentes, et dicent, Gloria tibi Domine.

℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et venient.

Lectio VI.

Justitiae autem praesefert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur, nam quod justorum sit confessio, testatur qui ait: Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur beata virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, et tribus fidei praedictis extruxit in ea sibi Domum Sapientia caelestis, quae adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fecundaretur et caro. Ipsius autem Virginis natalis Domus divinis mysteriis consecrata, Angelorum ministerio ab Infidelium potestate, in Dalmatiam prius, deinde in Agrum Lauretanum Picinae Provinciae translata fuit, sedente sancto Caelestino quinto, eamdemque ipsam esse, in qua Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, et celeberrima totius Orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, et caelestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius duodecimus, quo ferventius erga Matris amantissimae cultum Fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctæ Domus Translationem anniversaria sollemnitate in tota Piceni Provincia veneratam, Missa etiam, et Officio proprio celebrari praecepit.

℟. Domus mea, Domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit: * Et pulsanti aperietur.

℣. Petite, et accipietis: quaerite: et invenietis. Et.
Gloria Patri. Et.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in aula sancta ejus.

Antiph. Viderunt omnes populi gloriam ejus.

Antiph. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus, alleluja.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum. Pater noster. *Absolutio.* A vinculis.

℣. Jube domne benedicere.

Bened. Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Ex Homilia 5. super Missus est.

Quae est haec Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo; tam humilis ut desponsata Fabro? Pulchra permixtio virginitatis, et humilitatis, neč mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem, sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fecunditas, et partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem? Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas: illa consulitur, ista praecipitur.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in aeternum.

℣. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiae Regum in honore tuo. Propterea.

Ex Homilia 2. super eodem loco.

Lectio VIII.

Missus est, inquit, Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam, nec noviter, nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam, et sibi praeparatam, ab Angelis servatam, a Patribus praefiguratam, a Prophetis promissam; ut pauca loquar de pluribus, quam sibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: inimicitias ponam inter te, et mulierem? Et si adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod sequitur: ipsa conteret caput tuum: cui haec servata victoria est, nisi Mariae?

℟. Beata es virgo Maria, Dei genitrix, quae credidisti Domino, perfecta sunt in te, quae dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Ex Homil. 3. super eodem loco.

Lectio IX.

Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum. Quo ingressus ad eam? Puto in Sacrarum pudici Cubiculi, ubi illa fortassit clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli adstare orantibus, et delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocaustum sanctae devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariae autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam tam revereuter salutavit.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Domum tuam Domine decet sanctitudo, in longitudinem dierum.

Psal. Dominus regnavit *cum reliq. de Dominica.*

Antiph. Domus mea, domus orationis vocabitur: in ea omnis qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur.

Antiph. Propter Domum Domini Dei nostri, quaesivi bona tibi.

Antiph. Domine Deus exaltasti super terram habitionem meam.

Antiph. Domum majestatis meae, et locum pedum meorum glorificabo.

Capitulum.

In omnibus.

Hymn. Alto ex Olympi vertice. *ut supr.*

℣. Introibimus in tabernaculum ejus

℟. Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Ad Bened.

Antiph. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Orat. Deus, qui beatae. *ut supr.*

Ad Primam in ℟. *brevi dicitur.*

℣. Qui natus es de Maria virgine.

Ad Tertiam.

Antiph. Domus mea.

Capitulum.

In omnibus requiem quaesivi. *ut supra.*

℟. br. Hic Domus Dei est: * Et Porta Cœli. Hic Domus

℣. Et vocabitur Aula Dei. Et. Gloria. Hic Domus.

℣. Domine dilexi decorem Domus tuae.

℟. Et locum habitationis gloriae tuae.

Ad Sextam.

Antiph. Propter Domum Domini.

Capitulum. *Eccl. 24. b.*

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. br. Domine, * Dilexi decorem Domus tuae, Domine.
℣. Et locum habitationis gloriae tuae. Dilexi. Gloria. Domine.
℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.
℟. In longitudinem dierum.

Ad Nonam,

Antiph. Domus majestatis meae.

Capitulum. *Eccl. 24. b.*

In plateis sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. br. Domum tuam Domine, * Decet sanctitudo. Domum.
℣. In longitudinem dierum. Decet sanctitudo.
Gloria Patri. Domum tuam.
℣. Hic Domus Dei est, et Porta Cœli.
℟. Et vocabitur Aula Dei.

In 2. Vesper. omnia ut in primis, praeter Antiph. sequentem.

Ad Magnif.

Antiph. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi Domus Dei, et Porta Cœli.

Oratio ut supra.

IN FESTO

S. BARBARÆ NICOMEDIENSIS V. ET M. *dupl.*

Pro Dominio Veneto.

Omnia dicuntur de Communi Virginum 1. loco, praeter Orationem, et Lectiones II. Nocturni, quae hic habentur propriae.

Oratio.

Intercessio, quaesumus Domine, beatae Barbarae Virginis et Martyris tuae ab omni nos adversitate protegat; ut per ejus interventum, gloriosissimum Sacrosancti Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri per veram poenitentiam, et puram confessionem percipere mereamur. Qui tecum vivit, et regnat etc.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Barbara Virgo Nicomediensis Dioscori nobilis, sed superstitiosi hominis filia, per ea, quae visibilia facta sunt, ad invisibilia, divina opitulante gratia, facile pervenit. Quapropter, soli Deo, rebusque Divinis vacare cœpit. Eam Pater utpote forma venustiori nitentem a quocumque vivorum occursu tutari cupiens, turri inclusit, ubi pia Virgo meditationibus, et precibus addicta, soli Deo, quem sibi in sponsum delegerat placere studebat. Oblata a Patre pluries Nobilium connubia fortiter sprevit: Pater vero per sui absentiam filiae animum posse facilius emoliri confidens,

jussit primo balneum extrui, ne quid ei deesset ad commoditatem, deinde peregre in exteras regiones profectus est.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

Absente Patre jussit Barbara duabus fenestris, quae in turri erant, tertiam addi in honorem Divinae Trinitatis, labiumque balnei Sacrosanctae Crucis signo muniri: quod ubi rediens Dioscorus inspexit, audita novitatis causa, adeo in filiam excanduit, ut stricto ense eam appetens, parum abfuerit, quin eam dire confoderet: sed præsto adfuit Deus: nam fugienti Barbarae saxum ingens se patefaciens, viam aperuit, per quam montis fastigium petere, sicque in specu látere potuit: sed paulo post, cum a nequissimo genitore reperta fuisset, ejus latera pedibus, dorsumque pugnis immaniter percussit, et crinibus per loca aspera, difficilesque vias raptatam Marciano Praesidi puniendam tradidit. Itaque ab ipso omnibus modis, sed incassum tentata, nudam nervis caedi, et inflicta vulnera testulis confricari, deinde in carcerem trahi praecepit; ubi immensa luce circumdatus ei Christus apparens mirifice confortatam in passionum tolerantia confirmavit: quod animadvertens Juliana Matrona, ad Fidem conversa, ejusdem palmae particeps effecta est.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Barbarae demum ferreis unguibus membra laniantur, facibus latera incenduntur, et malleolis caput contunditur, quibus in cruciatibus consortem solabatur, et hortabatur; ut ad finem usque constanter certaret. Præcisis tandem utrisque uberibus nudae per loca publica tractae, capite plectuntur, filiaeque cervicem ipse scelestissimus Pater humanitatis expers propriis manibus amputavit; cujus fera crudelitas non diu inulta remansit; nam statim eo ipso in loco fulmine percussus interiit. Corpus hujus Beatissimæ Virginis Justinus Imperator Nicomedia auferens, Constantinopolim primum transportavit. Illud idem, cum progressu temporis ab Imperatoribus Constantino, et Basilio impetrassent Veneti, Constantinopoli deductum in Sancti Marci Basilica fuit de-

inde sollemniter collocatum. Postremo, et ultimo supplicantibus Torcellano Episcopo, ejusque sorore Abbatissa, ad Ecclesiam Monialium sancti Joannis Evangelistæ Torcellanæ Diœcesis anno salutis millesimo nono defertur, ubi, et honorifice conditum, perpetuo cultu ad praesens usque tempus summopore veneratur.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Evangel.

Simile erit regnum cœlorum decem virginibus *de Communi Virginum.*

IN FESTO

S. SPIRIDIONIS EPISC. ET CONF. *Duplex.*

Pro Dominio Veneto.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, praeter Lectiones II. Noct. quae hic habentur.

Oratio.

Da quaesumus omnipotens Deus: ut beati Spiridionis Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum nostrum.

Deinde fit comm. S. Luciae Virg.

Octav. Conceptionis, et Feriae. In I. Noct. Lect. de Script. occur. Si vero venerit in Quat. Temp. leguntur Lect. Fidelis sermo *de Communi Confess. Pont.* *et IX. Lect. de Homil. Fer. occurr. cum comm. Oct. Concept. B. V. Mariae, et Feriae ad Laudes.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Spiridion Tremithuntis urbis Cypri Episcopus, unus fuit ex iis Confessoribus, qui Maximiano Imperatore, dextero oculo eruto, et sinistro poplite succiso, ad metalla relegati sunt. Hic, Constantino Imperatore, Niceno Concilio cum interesset, Philosophum Ethnicum Christianae Religioni insultantem, miro prorsus modo devicit, et ad Fidem perduxit. Sardicensium Patrum consessum sua quoque praesentia, ut beatus Athanasius testatur, ornavit. Triphyllium Ledrensem Episcopum, virum omnium suæ ætatis eloquentissimum in Synodo orantem, quod simplici divinae Scripturae voce uti dedignatus esset, palam reprehendit. Interea beatus Spiridion Ecclesiam sibi commissam cum sanctissime regeret, non prophetiæ dono solum: sed miraculorum etiam virtute clarus extitit: nam charitate fervens, ut innocentem capite damnatum liberaret, viam agebat, et torrente valde exundante impediebatur: at imperio Spiridionis stetit torrens, et sibi aliisque viatoribus patuit via.

℟. Inveni David servum.

Lectio V.

Quadam nocte cum ad caulas ovium fures venissent (factus enim Episcopus, propter singularem animi modestiam, oves etiam pavit) et manus improbas, quo aditum educendis ovibus facerent, extendissent, invisibilibus quibusdam vinculis restricti, usque ad lucem velut traditi tortoribus permanserunt. Cum vero oves ducturus ad pascua matutinus se ageret senior, videt juvenes absque humanis vinculis in caulis pendere districtos. Cumque causam noxae comperisset, absolvit sermone quos meritis vinxerat: et ne eis inanis nocturna cederet occupatio: Tollite, inquit, o juvenes, unum vobis arietem, ne sine causa venisse videamini, quem melius prece, quam furto quaesisse convenerat. Antiochiam jussu Constantini Imperatoris profectus, eumdem morbo laborantem solo tactu sanavit, ubi cum quidam Aulicus illius sacrae maxillae incussisset colaphum, prom-

ptus ad Dominicam legem implendam, illi praebuit et alteram.

℣. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Filiam habuit sanctus Episcopus Irenem nomine (duxerat enim ipse dum laicus esset, uxorem: cum qua paucos annos honeste traduxit) quae ei cum bene ministrasset, virgo defuncta est. Post ejus obitum venit quidam, dicens, se ei quoddam depositum commendasse. Rem gestam ignoraverat pater. Perquisitum in tota domo nusquam, quod poscebatur inventum est. Persistebat tamen ille, qui commendaverat, et fletu ac lacrymis perurgebat: vitae suae quoque illaturum se esse exitum, nisi commendata reciperet, testabatur. Permotus lacrymis ejus senex, ad sepulcrum filiae properat, atque eam ex nomine clamitat. Tum illa de sepulcro: Quid vis (ait) Pater? Commendatum, inquit, illius ubi posuisti? At illa locum designans. Illic (ait) invenies defossum. Regressus domum, rem sicut filia de sepulcro responderat, repertam tradidit reposcenti. His aliisque rebus divinitus gestis, clarus prudentia pariter et Christiana simplicitate, singularique erga peregrinos et pauperes pietate admirandus, cum Ecclesiam Tremythuntinam mirifice gubernasset, plenus dierum obdormivit in Domino. Ejus corpus, ad quod multa miracula facta leguntur, longo post tempore ex loco, ubi primum sepulturae traditum fuerat, Corcyram delatum, pia fidelium veneratione colitur. Celebratur beati Spiridionis dies festus apud Graecos pridie idus Decembris.

℣. Iste est qui ante.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evang.

Homo peregre proficiscens. *de Communi Confess. Pont. Vesp. integrae de die Oct. Conceptionis B.V. M. omnia sumuntur ex primis Vesp. Festi: cum comm. S. Spiridionis, et Feriae oratio, et Missa Statuit.*

Feria 3. *post. Dominicam Septuagesimae*

DE ORATIONE D. N. J. C.

IN MONTE OLIVETI

Dupl. maj. Ad Vesperas.

Antiph. « Venit Jesus « *cum reliquis de Laudibus.*
Psal. « Dixit Dominus « *cum reliquis de Dominica*, *et loco ultimi.*
Psalm. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum *Matth.* 26.

Venit Jesus ad Discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

HYMNUS

Aspice, ut Verbum Patris a supernis
Sedibus clemens, et amore flagrans,
Perditis culpa genitis mederi
Pergit Adami.
Flebilem Mundi miserans ruinam,
Et volens nostros reparare casus,
Orat, et prona veniam precatur
Fronte Magister
Fluctuat tecum tot acerba volvens:
Hunc, ait supplex, calicem doloris,
Mi Pater, transfer: tua sed voluntas
Non mea fiat.
Cum premat tristis pavor ima cordis,
Deficit languens Dominus; per artus
Sanguinis sudor fluit, atque guttis
Terra madescit.
At celer summo veniens Olympo
Angelus Jesum recreat jacentem,
Corpori vires redeunt, novoque
Robore surgit.

Laus, honor Patri, genitaeque Proli,
Cui datum Nomen super omne Nomen:
Et Paracleto decus, atque virtus
Omne per aevum. Amen.

℣. Tristis est anima mea.
℟. Usque ad mortem.

Ad Magnificat

Antiph. « Positis genibus, orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Oratio

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo, et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda, concede propitius, ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur. Qui vivis, et regnas.

Ad Matutinum

Invitator. Christum Jesum in monte Olivarum orantem * Venite adoremus.

Psalmus. « Venite exultemus « *Hymnus, ut supra in Vesperis.*

IN I. NOCTURNO

Antiphona. Ante orationem præpara animam tuam: et noli esse, quasi homo, qui tentat Deum.

Psalm. 16. Exaudi, Domine, justitiam meam etc.

Antiphona. Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse, quasi homo, qui tentat Deum.

Antiphona. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari.

Psalm. 27. Ad te, Domine, clamabo, Deus meus etc.

Antiphona. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari.

Antiphona. Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes accipietis.

Psalm. 141. Voce mea ad Dominum clamavi etc.

Antiphona. Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes accipietis.

℣. Tristis est anima mea.

℟. Usque ad mortem.

Lectio I

Ex Libro Tobiae. *Cap.* 12.

Bona est oratio cum jejuneo, et eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, ei ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam aeternam. Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem, hostes sunt animae suae. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

℟. In omnibus gratias agite: * Sine intermissione orate.

℣. Haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. Sine intermissione.

Lectio II.

De Epistola Beati Jacobi Apostoli. *Cap.* 5.

Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit, ut non plueret super terram: et non plueret super terram: et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum oravit, et Coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui convertit fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

℣. Quum stabitis ad orandum, * Dimittite, si quid habetis adversus aliquem.

℟. Ut et Pater vester, qui in Coelis est, dimittat vobis peccata vestra. Dimittite.

Lectio III.

De Epistola Beati Pauli Apostoli ad Haebreos. *Cap. 5.*

Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu; ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, qui posait illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, dicit ex iis, quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi caussa salutis aeternae, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

℟. Exaudivit Dominus deprecationem meam * Dominus orationem meam suscepit.

℣. Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine. Dominus orationem. Gloria Patri. Dominus orationem.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Quum oratis, non eritis, sicut hypocritae, qui amant in Synagogis, et in angulis Platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Psalm. 42. Judica me Deus, et discerne etc.

Antiph. Quum oratis, non eritis, sicut hypocritae qui amant in Synagogis, et in angulis Platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Antiph. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.

Psalmus 63. Exaudi, Deus, orationem meam etc.

Antiph. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.

Antiph. Factum est autem in illis diebus, exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

Psalm. 120. Levavi oculos meos in montes etc.

Antiph. Factum est autem in illis diebus, exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

℣. Pater mi, si possibile est,

℟. Transeat a me calix iste.

Lectio IV.

Ex tractatu S. Cypriani Episcopi, et Martyris.

De Oratione Dominica.

Nec verbis tantum, sed et factis Dominus orare nos docuit; ipse orans frequenter, et deprecans, et quid facere nos oporteret, exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est: Ipse autem fuit secedens in solitudinem, et adorans. Et iterum: Exivit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei. Quod si ille orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, et rogabat non pro se: quid enim pro se innocens precaretur? Sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat, quum dicit ad Petrum: Ecce Sathanas expetivit, ut vos vexaret, quomodo triticum: ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et postmodum pro omnibus Patrem deprecatur dicens: Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes unum sint, sicut Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

℣. Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum; * Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

℟. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Ego autem.

Lectio V.

Ex commentariis S. Anselmi Episcopi.

In Epist. ad Hebraeos. *Cap. 5.*

Sicut verus Pontifex obtulit preces: nam in Evangelio saepe legitur orasse, et maxime apud Lucam, qui Sacerdotis in eo descripsit personam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces, et supplicationes fuerunt pro hominibus. Tota vita sua Patrem oravit de resurrectione carnis suae, ac de nostra salute, et instante jam Passione, obtulit supplicationes. idest humillimas, et instantissimas orationes cum summa devotione cordis, et affectione, quando factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Et has preces, supplicationesque obtulit, idest obviam tulit Patri per exauditionem sibi obvianti. Obtulit eas ad eum, qui posset illum a morte salvum facere, idest resuscitare; ad eum, quem scivit esse sufficientem, ut salvaret eum, idest immortalem, et impassibilem; faceret, eripiendo eum a morte, ut nec anima remaneret in inferno, nec caro putresceret in Sepulchro.

℟. Oratio humiliantis se nubes penetrabit: * Et donec propinquet, non consolabitur.

℣. Et non discedet, donec Altissimus aspiciat. Et donec.

Lectio VI.

Et obtulit has cum clamore valido, idest cum intentione piae devotionis vehementissima, et efficacissima, ut quando prolixius orabat, et etiam cum lacrymis; quia in illa prolixa Oratione credendus est lacrymas effudisse, quum et guttae sanguinis pro sudore decurrerent ab ejus Corpore, et exauditus est; quia, quod quaesierat, accepit in resurrectione. Exauditus est, idest, extra numerum aliorum omnium auditus est, quoniam super omnem creaturam post laboris sui militiam a Patre sublimatus est, et hoc pro sui reverentia, idest, secundum hoc, quod ipse, sicut Dei Filius, dignus est reverentia, et veneratione. Vel pro sua reverentia in Deum, idest propter quod ipse super omnia

Patrem reveritus est, et honoravit. Sive pro sua reverentia, idest, sicut sua religio meruit. Sanguinis quoque ejus effusio potest intelligi clamor validus, in quo exauditus est pro reverentia ejusdem Passionis. Reverentia est, quod sine peccato passus est sola charitate.

℣. Fiant aures tuae auscultantes, et oculi tui aperti * Ut audias orationem servi tui:

℣. Quam ego oro coram te hodie nocte, ac die. Ut audias. Gloria. Ut audias.

IN III. NOCTURNO

Antiph. Tribulatio, et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.

Psalm. 3. Domine, quid multiplicati sunt etc.

Antiph. Tribulatio, et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.

Antiph. Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.

Psalm. 12. Usquequo Domine oblivisceris me in finem etc.

Antiph. Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.

Antiph. Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.

Psalm. 87. Domine Deus salutis meae etc.

Antiph. Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.

℣. Vigilate, et orate.

℟. Ut non intretis in tentationem.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 23.

In illo tempore: Egressus Jesus ibat secundum consuetudinem in Montem Olivarum. Sequuti sunt autem illum et Discipuli. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 10. Coment. in Luc. Cap. 22.

Transfer a me calicem istum: quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans. Oportet enim mori nos saeculo, ut resurgamus Deo: ut juxta divinam sententiam lex maledictionis resoluta in terrae limum naturae fine solvatur. Quod autem ait, non mea voluntas, sed tua fiat, suam ad hominem retulit, Patris ad Divinitatem. Voluntas enim hominis temporalis, voluntas Divinitatis aeterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii. Una enim voluntas, ubi una divinitas. Disce tamen Deo esse subjectus, ut non, quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum. Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus, Tristis est, inquit, anima mea; Et alibi: Nunc anima mea turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur. Anima enim obnoxia passionibus, Divinitas libera.

℣. Veni in altitudinem maris * Et tempestas demersit me.
℟. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. Et tempestas.

Lectio VIII.

Denique spiritus promptus, caro autem infirma, Tristis autem est non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam suam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, ut aliud esset, et aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Caeterum quam constanter se morti obtulerit, consequentia declarant: quandoquidem quaerentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepida provocavit. Proditorem osculi dignatione suscepit. Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutoribus suis: qui sciebat immanis sacrilegii poenas daturos. Et ideo dixit: Transfer hunc calicem a me. Non quia Deus Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat.

℣. Intret in conspectu tuo Oratio mea * Inclina aurem tuam ad precem meam.

℟. Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Inclina aurem. Gloria. Inclina aurem.

Lectio IX. De homilia feriae, si celebretur in quadragesima, et tunc de feria fit commemoratio in Vesperis, Laudibus, et Missa, Quod si ante Quadragesimam hoc Officium celebretur, VII. Lectio erit usque ad verbum « Placiturum » *VIII. Lectio usque ad verbum* « Dispertatione « *Reliqua erunt pro IX. Lectione.*

Ad Laudes, et per Horas.

Antiphona. » Venit Jesus cum discipulis suis in Villam, quae dicitur Gethsemani, et dixit illis, sedete hic, donec vadam illuc, et orem.

Psalmus. « Dominus regnavit « *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. « Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari, et mœstus esse.

Antiphona. « Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hic, et vigilate mecum.

Antiphona. « Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans, et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.

Antiphona. « Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Capitulum.

Venit Jesus ad Discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

HYMNUS.

Venit e Coelo Mediator alto,
Quem sacri dudum cecinere Vates:
Parce moerori, lacrymisque amaris,
Filia Sion.

Attulit mortem vetus hortus, unde
Culpa prodivit, novus iste vitam
Hortus en affert, ubi nocte Jesus
Permanet orans.

Vindicem placat Genitoris iram:
Reprimit forti jacienda dextra
Fulmina: occurrit sceleri expiando
Sponte Redemptor.

Sic teret duros laqueos Averni,
Et diu clausam reserabit aulam:
Non ad aeterna revocans beata
Gaudia Regni.

Laus, honor Patri, genitaeque Proli:
Cui datum nomen super omne nomen:
Et Paracleto decus, atque virtus.
Omne per aevum. Amen.

℣. Doce nos orare:
℟. Sic ergo vos orabitis.

Ad Benedictus

Antiphona. Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo, et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda: concede propitius, ut nos orationi semper intenti ejus copiosum fructum consequi mereamur. Qui vivis et regnas.

Ad Primam

Antiphona. Venit Jesus — *ad Lection. brev. Capitulum Nonae*.

Ad tertiam

Capitulum, ut ad Laudes

℣. *Brev*. Tristis est * anima mea. Tristis.
℟. Usque ad mortem. Anima. Gloria Patri. Tristis est.

℣. Pater mi, si possibile est,
℟. Transeat a me calix iste.

Ad sextam

Capitulum *Luc. 21.*

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.

℟. *Brev.* Pater mi *, si possibile est. Pater.

℣. Transeat a me calix iste. Si possibile. Gloria Patri. Pater mi.

℣. Vigilate, et orate,

℟. Ut non intretis in tentationem.

Ad Nonam

Capitulum *Matth. 5.*

Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in Coelo est.

℣. *Brev.* Vigilate, * et orate. ℣. Ut non intretis in tentationem. Et orate. Gloria Patri. Vigilate.

℣. Factus Est sudor ejus,

℟. Sicut guttae sanguinis.

In 2. Vesperis omnia ut in primis; et loco ultimi Psal. Credidi.

℣. Factus est sudor ejus,

℟. Sicut guttae sanguinis.

Ad Magnificat.

Antiphona. Ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Oratio, ut supra.

S. ISIDORI AGRICOLÆ

Confessoris dup.

Omnia de Com. Conf. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Da nobis quesumus, misericors Deus, beato Isidoro Agricola Confessore Tuo intercedente, superbe non sapere, sed ejus meritis, et exemplis placita Tibi semper humilitate deservire, Per Dominum nostrum etc.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Isidorus Agricola prope Matritum Hispaniae Urbem, in qua natus fuerat, mercede colendis agris conductus, brevi magnarum sibi virtutum eo in exercitio uberrimam segetem paravit. Admirabilis enim Christi ac Sanctorum imitator nunquam ad opus mane se conferebat, nisi prius Dei Regnum studiose quaerebat, Ecclesiasque in ipsius, ac Deiparae honorem dicatas visitaret. Quare cum illius moram agri Dominus graviter ferret, atque ex editiore loco quadam die, ut eum liberius increparet, Agricolam operiretur, binos Angelos candida veste duplici boum jugo arantes, mediumque inter illos Isidorum conspexit. Quo miraculo vulgato, magno deinceps honori tam apud Herum, quam apud caeteros homines haberi coepit.

Lectio V.

Charitate in pauperes adeo flagravit, ut mercedem, quam laboribus parabat, egentibus erogaret. Quin etiam cum aliquando ad commune cum reliquis confratribus prandium plurimos pauperes adduxisset, nihilque aliud, prandio scilicet finito, quam pulmenti partem sibi reservatam repérisset, illam vir Dei fide singulari fretus ita distribuit, ut admirabiliter aucta iis omnibus alendis, saturandisque sufficeret. Illud etiam inter caetera mirandum, quod per aestivos calores ad estinguendam in agro sitim, aquae potum, hero flagitante, cum nullibi scateret, Isidorus stimulo, quem gerebat, humo percussa, uberem ex ea, et perennem ad haec usque tempora fontem elicuit.

Lectio VI.

Igitur sanctitate clarus cum ad ultimam senectutem pervenisset, obdormivit in Domino, et in Coemeterio S. Andreae sepultus tamdiu ibi jacuit, quoad cives de ipsius corpore honestius in Ecclesia collocando divinitus moniti, illud in loculo integrum, atque adeo incorruptum invenerunt, ut ex eo suavissimus odor, qui hac etiam tempestate perdurat, efflaret. Sacrum Corpus in Ecclesiam translatum, et in editiore loco situm maximis Deus miraculis illustravit. Quorum beneficentiam non semel tam ipsa Matriti Civitas, quam etiam caetera Hispaniae loca ope ipsius implorata persenserunt. Quem postremo post annos fere quadringentos fama Sanctitatis, ac miraculis illustrem Gregorius XV. in Sanctorum numerum retulit.

IN III. NOCTURNO

Hom. in Evang. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. *Ut in Comm. un. Mart tempore Pasch. cum ℟℟. ut in III. Noct. de Comm. Conf. non Pont.*

In Mense XV. Junii.

SS. VITI, MODESTI, ATQUE CRESCENTIÆ MM. *Duplex.*

Oratio.

Da, Ecclesiae tuae, quaesumus Domine, sanctis martyribus tuis Vito, Modesto, atque Crescentia intercedentibus, superbe non sapere, sed tibi placita humilitate proficere: ut prava despiciens, quaecumque recta sunt, libera exerceat charitate. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Vitus admodum puer, inscio patre baptizatus est: quod cum ille rescivisset, nihil praetermisit, quo filium a Christiana religione removeret. Qua in voluntate permanentem Valeriano judici verberibus castigandum tradidit. Sed nihilominus in sententia persistens, patri redditus est. Sed dum eum pater gravius punire cogitat, Vitus angeli monitu, comitibus modesto et Crescentia, ejus educatoribus, migrat in alienas terras: ibique eam sanctitatis laudem adeptus est, ut ejus fama ad Diocletianum perlata, ipsum imperator accerseret, ut filium suum a daemone vexatum liberaret: quo liberato, cum ei amplissimis praemiis ingratus imperator, ut Deos coleret, persuadere non potuisset, una cum Modesto et Crescentia vinculis constrictum mittit in carcerem.

℣. Sancti tui Domine. etc.

Lectio V.

Quos ubi constantiores esse comperit, demitti jubet in ingens vas liquato plumbo, ferventi resina ac pice plenum: in quo cum trium Hebraeorum puerorum more divinos hymnos canerent, inde erepti leoni objiciuntur; qui prosternens se eorum pedes lambebat. Quare inflammatus ira imperator, quod multitudinem videbat miraculo commoveri, eos in catasta sterni jubet, et ita caedi eorum membra, atque ossa divelli. Quo tempore tonitrua, magnique terraemotus fiere, quibus templa deorum corruerunt, et multi oppressi sunt. Eorum reliquias Florentia nobilis femina unguentis conditas honorifice sepelivit.

℟. Verbera carnificum etc.

Lectio VI.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 47. de Sanctis.

Quotiescumque, fratres charissimi, sanctorum martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus a Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos martyres imitando, accipere mereamur aeterna. Ab ipsis enim sanctorum martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

℟. Tamquam aurum etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. ***Cap. 10.***

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedae presbyt.

Lib. 3. in Lucae Cap. 42.

Ut in audiendo quisque vel spernendo Evangelii praedicatore non viles quasque personas, sed Dominum Salvatorem, imo ipsum Patrem spernere se, vel audire disceret, ait: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit: quia procul dubio in discipulo magister auditur, et in filio pater honoratur. Potest et ita intelligi: qui non facit misericordiam uni de fratribus meis minimis, nec mihi facit: quia et ipse pro his formam servi, et pauperis habitum suscepit.

℟. Propter testamentum etc.

Lectio VIII.

Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Bene quidem confessi sunt, deferentes honorem nomini Christi: sed quia infirma adhuc fide gaudebant virtutibus, vide quid audiunt: et ait illi: Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem: non modo video, sed prius videbam, quando corruit: quod autem ait, sicut fulgur; vel praecipitem de supernis ad ima lapsum significat, vel quia dejectus, adhuc transfigurat se in angelum lucis.

℟. Saucti mei etc.

Lectio IX.

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones. Hoc est omne genus immundorum spirituum, de obsessis corporibus ejiciendi, quamvis et ad litteram rectissime possit accipi: siquidem et Paulus a vipera invasus, nihil adversi patitur. Hoc sane inter serpentes, qui dente, et scorpiones, qui cauda nocent, distare arbitror, quod serpentes aperte saevientes, scorpiones clam aculeo insidiantes: vel homines, vel daemones significent: serpentes, qui inchoandis virtutibus venena pravae persuasionis abjiciunt:

scorpiones, qui consummatas virtutes ad finem vitiare contendunt. Verum tamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus ejicere, sicut et virtutes alias facere, interdum non est ejus meriti, qui operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit.
Te Deum Laudamus etc.

Rogante illustriss. et Reverendiss. Dom. Antistite Scyllaceno D. Andrea M. Rispoli, *Leo XII. Pontifex Maximus, Kalendis Augusti 1826. per Eminentiss. et Reverendiss. Dominum Cardinalem De Somalia, extensionem Officiorum propriorum, et Missarum B. M. V. diversis titulis honoratae, et Sanctorum in praesenti Volumine contentorum, ad formam Concessionis, Scyllacii Dioecesi annuere censuit; excepto tamen Officio proprio Divi Agathii Centur. et Mart. Patroni Principalis Dioeceseos ejusdem, quod indulto Sacrae Congregationis quinto Kalendas Octobris 1828. probari meruit.*

Nonis Octobris 1831. Praeses Publicae Instructionis, Illustriss., et Reverendiss. Dom. Colangelo, permisit haec Officiorum Collectio dari Typis etc., etc.

Finis.

DIVINORUM OFFICIORUM

IN PRAESENTI VOLUMINE CONTENTORUM.

INDEX.